DE SIMONIA ET MUNERUM AC RETRIBUTIONUM GRATIFICATIONE IN RE...

Jean Ansillon

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21 A
13


Digitized by Google

Digitized by Google

DE SIMONIA ET MUNERUM AC RETRIBUTIONUM GRATIFICATIONE IN RE BENEFICIARIA.

Ubi etiam obiter agitur

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, DE TONSURA, HABITU, RESIDENTIA, DE PLURALITATE Beneficiorum, Penſionibus, aliiſque rebus Statum Clericalem ſpectantibus.



VITTORIO EMANUELE
IN ROMA

LEODII,
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL, S.C.S. Typographum. M. DC. LXXVII.

Superiorum Permiſſu.

A

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI
EMMANUELI THEODOSIO
DE LA TOUR-D'AUVERGNE,

CARDINALI BULLIONIO,

MAGNO FRANCIÆ
ELEEMOSYNARIO,
CATHEDRALIS ECCLESIÆ LEODIENSIS
PRÆPOSITO, &c.

CVM hìc ſanctè profitear, SERENISSIME *ac* EMINENTISSIME PRINCEPS, *integerrimæ Conciliorum Doctrinæ,*

Digitized by Google

ſaluberrimis Summorum Pontificum Decretis, placitisq; Sanctorum Patrum, exactiſsimè me ſemper adhæſiſſe, & etiamnùm in hoc ipſo Opere adhærere: non abs re fore arbitrabar, ſi in fidei meæ teſtimonium, ipſi fronti hujuſce mei libelli, Illuſtris alicujus Præſulis nomen præfigerem; qui inter cæteros Eccleſiæ Principes eluceret maximè. Nec mihi difficilis erat deliberatio, quem potiſsimùm in hunc finem eligerem, cùm EMINENTISSIMA CELSITVDO VESTRA, *mihi, juſtas ob cauſas omnium primò, ob oculos ſit obverſata. Tu ſcilicet,* PRINCEPS SERENISSIME, *dum Sacrâ indutus Purpurâ incedis, Eccleſiæ columna audis. Dum Cathedralis noſtræ Leodienſis Præpoſitus appellaris, è Prælatis noſtris & es, &*

Digitized by Google

haberis Summus. Dum Archidiaconus diceris, Judex noſter ac Magiſter declararis. Quod autem ad inſtitutum meum facit maximè, id me potiſsimùm ſolatur, quod in Patronum nactus ſim eum, cujus vita ad normam Sanctorum Patrum dogmatum compoſita, expoſita jam eſt Orbis Chriſtiani Theatro in exemplar, ſtupendum magis, quàm imitatione aſſequendum. Hi tanti, & tam illuſtres, Tibi tot nominibus debiti, honorum tituli, Tuis me ſupplicem ſtravêre pedibus, ut has meas, qualeſcumque demùm lucubrationes, ſolitâ tuâ pietate foveas, fulgore illuſtres, protegas auctoritate. Nec enim deerunt fortaſſe, qui ſub fictâ neſcio quâ virtutis ſpecie, meam in

Digitized by Google

hoc Opere elaborando accuſent induſtriam. Contra hos Tuam imploro fidem, patrocinium peto, flagito auctoritatem : Teq;, Clementissime Princeps, *cauſæ meæ Judicem ſtatuo ; ſi tamen Te Iudice, cauſam prius non vicerim, quàm dixerim. Cùm enim non alio, quàm uno omnium Sanctorum Patrum ore, quæ hîc protulerim , ſim elocutus ; Tuq; eorum proloquia , tanquam tot oracula, ſemper acceperis : hanc Tibi judicandam propoſuiſſe cauſam , viciſſe eſt. Unde ſicut apud æquos rerum Iudices benevolam ſpero attentionem , ita nec malevolos uſque adeò metuo æſtimatores : præſertim cùm pravam ſuam circa hanc materiam conceptam opinionem quanto-*

Digitized by Google

cyus (uti ex animo opto) ſint commutaturi , ubi Tuum huic Operi præfixum Nomen inſpexerint , Tuoq; tectum patrocinio in publicum prodire viderint. Ita ſperat ac vovet

*SERENISSIMÆ AC EMIN.*ᴹᴬᴱ
CELSITUDINIS VESTRÆ,

Servus Devotiſſimus,
JOANNES ANSILLON
Parochus Sanctæ Gertrudis in Suburbiis Leodienſibus.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

EA eſt humanæ naturæ ſocietatisque conditio, quod ſicut unuſquiſque hominum vitæ propriæ neceſſaria ſibi providere ſufficiens non eſt; ita illi mutuis ſe invicem auxiliis atque officiis adjuvare compellantur. Id equidem ſi in rebus minoribus, ut in mercando, in artibus ediſcendis exercendisvè, in ipsâ re familiari adminiſtrandâ, ſervare neceſſarium eſt: certè in iis regulis, quibus ad æternam ſalutem conſequendam ducimur, expedire, nemo ambigere poteſt.

Lib. de util. cred. cap. 13 Omnes enim homines aut ſtulti ſunt, inquit S. Auguſtinus, aut ſapientes: ſapientes ſunt, quibus ineſt quãta ineſſe homini poteſt, ipſius hominis Deique firmiſſimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes. Cœteri autem cujuſque modi artibus inertiisque affecti ſint, quolibet victu probandi ſivè improbandi, ſtultorum in numero deputandi ſunt.

Idem ibid. Negare autem non poſſumus, inter ſtultitiam hominis & ſinceram Dei veritatem me-

Digitized by Google

dium quiddam interpoſitam eſſe hominis ſapientiam: ſapiens enim quantùm datum eſt imitatur Deum: homini autem ſtulto ad imitandum ſalubriter nihil eſt homine ſapiente propinquius. Ex quo quilibet mediocriter intelligens planè videt, ſtultis ſanum eſſe conſilium, ac primum ad virtutem profectum, judiciis acquieſcere ſapientum.

Sed quoniam multi ſapientes videri volunt, nec utrum ſint ſtulti dignoſcere facile eſt, non exigua ſupereſt ipſis ſtultis ſapientiæ prudentiæque ratio ineunda, in magiſtro ſapiente ſibi inveniendo aut deligendo. Sæpè etenim qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim neſciunt, medici videri carnis erubeſcunt. Proh dolor! inquit S. Bernardus, temporibus noſtris per univerſum mundum peſtilentialis morbus excrevit, ut præficiantur Eccleſiis, quos nec ſcientia, nec vita commendet, cœci duces cœcorum, & præcipitati ad præcipitium ducentes. *Ibidem.* *S. Gregor. part. 1. Paſtor. cap. 1.* *Serm. 3. de S. Andrcâ.*

Alii etiam ubi fortè intelligunt Domini voluntatem, negligunt tamen, & quantùm prævalent averſantur ei, qui dederunt manus morti, & cum inferno iniere fœdus, ut odiẽtes bonum, adhærentes malo, parati ſint gratis conſentire peccato, fovere malitiam, favere iniquitati. *S. Bernard. in declam.*

Sunt iterùm infirmi & tepidi amatores juſtitiæ, quibus aut vigor aut fervor deeſt, aut fortaſſis uterque, cùm uterque ſit ſummoperè *Idem ibid.*

neceſſarius, præſertim ducibus populi, inquit S. Bernardus, nè fortè in perniciem aliorum errare contingat. Iſti plerumque ambulant in lumine vultus humani, in eo ſemper intenti, quid hominibus placeat, quid mundus judicet: de quibus Propheta loquitur, contritio & infælicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.

Idem ſerm. quod voluntas noſtra divinæ tripliciter ſubjici debeat.

Alii denique quamvis exploratiſſimi ac juſtiſſimi rerum æſtimatores eſſe videãtur, in quibuſdam nihilominùs turpiter hallucinari, atque à Patrum regulis deviare dignoſcuntur. Quemadmodum enim jubar fulgens à ſolis lumine caligo ſuperveniens occultat, inquit S. Chryſoſtomus, ita ſæpenumerò intellectum quoque noſtrum veluti in ipſo meridie ſplendentem, & luce conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperveniens obſcurat, & vir ſapiens quid facto opus ſit non deſpicit.

Lactantius lib. 1. inſtit. cap. 1.

Ineſt præterea ipſi homini perverſa quædam mentis illecebra, quâ veritas ob inſitam ſibi auſteritatem, ſicut contemptui doctis, ita odio indoctis efficitur: nam quia virtutibus amaritudo permiſta eſt, vitia verò voluptate condita ſunt; homines illâ offenſi, hâc deliniti feruntur in præceps, ac bonorum ſpecie falſi mala pro bonis amplectuntur. Sicut autem unicum illius, ac perpetuum eſt opus offundere tenebras ac doctorum cœcare mentes, ne lucem videant: ita & indoctorum à veritate auditum avertere, ac magiſtros prurientes

Idem lib. 2. cap. 1.

2. Tim. 4.

Digitized by Google

auribus proponere.

Iſtiuſmodi utique conſiliariorum levem eſſe doctrinam, & quæ in ſtaterâ juſtitiæ inveniatur minùs habens: aut lutum eſſe ſine paleis, (niſi illa caligine ſuâ obſiſteret) humano quovis diſcerni, facilèque dijudicari poſſet judicio. Quis enim ei ſe committat, quem non putet plus ſapere, quàm ipſe ſapiat, qui quærit conſilium? quid conſulis hominem quem non arbitraris poſſe melius aliquid reperire, quàm ipſe intelligis? neceſſe eſt igitur, ut præſtantior ſit, à quo conſilium petitur, quàm ille qui petit.

Ezech. 13.

S. Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 8.

Quomodo etiam potes eum judicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe cui me committere paro: an verò idoneum putabo qui mihi det conſilium, quod non dat ſibi; & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet; cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia ſubjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus.

Ibid. cap. 12.

Quis iterùm ſibi fideles putet, quos vel pecuniâ, vel adulatione ſibi obligandos crediderit? aut, ſicut ait Propheta, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.

Idem c. 13.

Ezech. 13.

Denique quis eſt cujus ſtomachus non nauſeat ſuper eo quod in Eccleſiâ morbidum pravumque ſapit? aut poteſt aliquis guſtare quod

S. Aug lib. 8 de Civ. Dei cap. 51.

Iob. 6.

Digitized by Google

guſtatum affert mortem? non enim propter ſimplicitatem auditorum excuſatur, inquit S. Thomas, qui erroneam alicujus magiſtri ſententiam ſequitur.

In quodlib.

S. Aug. lib. de catheciſ. Rudibus.

Sixtus 3. ep. de malis doct.

Ad Tit. 1.

S. Baſil. cōſt. monach. cap. 9.

S. Bernard.

Verùm enimverò quoniam multi pravis cupiditatibus ſeducti requiem quandam quærunt & ſecuritatem, cùmque aliud nolint audire, quàm quod animo decreverint exercere, in directum nunquam feruntur, ut eum adeant ſectenturque, cujus ſecundùm doctrinam fidelis ſit ſermo: ſed veſpertilionum inſtar tortuoſo & incerto maximè volatu huc illucque temerè pererrant ac circumvagantur, ut patronum aliquem inveniant; aut quodcumque etiam minus probatum cauteriatis ſuis conſcientiis periſoma ſuffurentur, non ad levamen, ſed potiùs ad velamen.

Ita æqui bonique ſibi conſuluiſſe videntur, quod prudentum (ſicut aiunt) judiciis acquieverint; ideòque ſi quid erratum fuerit, ab omni reprehenſione immunes ſe fore confidunt. Non enim, inquiunt, ſufficientes ſumus ex nobis, quaſi ex nobis, caſuum determinationes facere. Verum eſt: Non enim omnium eſt ſcientia, ut Dionyſius ait: monetque Sapiens, altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſin autem voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.

2. Cor. 3.

Eccl. 3.

2. Cor. 8.

Ideò, proſequuntur, idoneos novi Teſtamenti miniſtros, quos nobis Deus dedit

Digitized by Google

Doctores uſque ad conſummationem ſæculi, conſuluimus. Nil hac deliberatione juſtius: quis enim neget utilius atque omninò ſalubrius eſſe præceptis obtemperare Sapientum, quàm ſuo judicio vitam degere? O fælices res humanas, inquit S. Bernardus, ſi ubique Sapientibus ſervirent inſipientes. Ab iis autem, concludunt, favorabile reſponſum accepimus; hâc videlicet ratione nobis licere exequi, quod avidê cupiebamus. O nimium dilecti Deo, quibus militat æther, & conjurati veniunt ad claſſica venti.

S. Aug. lib. de util. cred.

Lib. de nat. & dign. amor. divin. cap. 14.

Enimverò manet in fundamento prorſus incorrupta ſimplicitas, ſed minimè apparet duplicitate operta humanæ doloſitatis ſimulationis hypocriſis, inquit S. Bernardus: quàm incõgruè ſimplicitati duplicitas admiſcetur, quam indignè tali fundamento talis ſtructura committitur. Hujuſmodi ſibi verſutiam ſerpens induerat, cùm ſe, ut deciperet, conſiliarium exhiberet, ſimulabat amicum. Hujuſmodi quoque ſeducti ab eo Paradiſi incolæ induerant ſibi, cùm pudendam jam nuditatem tegere conarentur, & umbrâ frondoſi ligni, & frondium ſuccinctoriis, & verbis excuſatoriis; (ſerpens decepit me, mulier quam dediſti mihi decepit me.) Quàm latè ex tunc, & deinceps omnem poſteritatem hæreditarium hypocriſis virus infecit. Quem dabis de filiis Adam qui quod eſt non dico velit, ſed vel patiatur videri.

Serm. 82.

Quapropter idem S. Doctor his Scripturæ

Digitized by Google

Epiſt. 42. ad Hen. Senon. verbis nos admonendos eſſe cenſet : ego ſapientia, inquit, habito in conſilio. Sed quali *Proverb. 8.* conſilio ? Numquid in qualicumque ? & eruditis, ait, interſum cogitationibus. Sed & quod *Ibid. 25.* infida conſilia declinanda ſunt, per os Salomonis taliter monet : Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reveles. Pulchrè quoque per alium quēdam ſapientem, cùm ſine conſilio nihil agendum conſulat, virorum tamen conſilii intuens paucitatem, ita *Eccl. 6.* loquitur : Multi ſunt tibi amici, unus autem ſit tibi conſiliarius de mille ; unus, inquit, de mille. Ita ille.

Eccl. 37. Cùm igitur à conſiliatore pravo ſervandam eſſe animam vehementer nos admoneat Sa- *S. Bernard. ibid.* piens : cùm etiam in tantâ raritate inter mortales idonei reperiantur tam pauci, quibus ſalutem noſtram tutò committere poſſimus, ut Chriſtus ipſe ſub admiratione interroget, quis putas eſt fidelis ſervus & prudens ? quid eſt, quod quiſpiam nihil ſibi explorandum eſſe ducat, qualis quantuſve exiſtimari debeat ille quem conſulit ? Quid enim ſi ejuſmodi conſultationes ad ſæcularia commercia referrentur, nùm delectu facto magis probatos complecteretur ; eos verò quorum ſuſpecta viderentur arbitria ſummoperè declinaret ? Si veſtimentum empturus, inquit Author operis imperfe- *apud s. Chriſoſt. hom. 44.* cti in Matthæum, unum giras negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris & pretio viliori comparas : an non oportet po-

pulum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi ſincerè veritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.

Certè hujuſmodi viro bona, exiſtimationemque noſtram committimus, qui ſit juſtus & prudens: facit enim juſtitia, ut nullus ſit fraudis metus; facit etiam prudentia, ut nulla erroris ſuſpicio ſit. Huic ita fides habetur, ut dicat qui conſilium petit, & ſi mala mihi evenerint, per illum ſuſtineo. Verùm plerique ita pro rebus humanis iis confidere non auderent, quos nihilominus pro ſalute animæ ſibi conſulendos proponunt; utpotè quos vel pro idiotis habent, vel quos irreligioſos eſſe audiunt, vel quos palpones ſuſpicantur; aut denique quorum opinionem malè ſonare intelligunt. *S. Ambr. lib. 2. offic. cap. 8*

Quid eſt autem quod filii hujus ſæculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſuâ? niſi quod iſti ſolliciti ſint de bonis ſuis ſervandis: hi verò cùm nullam, aut certè exiguam animæ curam gerant, id avidè cupiunt, ut cupiditati ſuæ ſatisfaciant; ideòque videntibus dicunt, inquit Propheta, nolite videre; & aſpicientibus, nolite nobis aſpicere ea quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia. Quod ſi quiſpiam eorum voluntati nequaquam acquieverit, ab eo abſtinent, ejus ſtudia traducunt, irrident, calumniantur: non enim recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ *Luc. 16.* *Iſaiæ 30.* *Proverb. 18*

Digitized by Google

3. Reg. ult. verſantur in corde ejus. Sic olim Joſaphat Regi Juda inquirenti, non eſt hic Propheta Domini quiſquam, ut interrogemus per eum? Reſpondit Achaz Rex Iſrael, remanſit vir unus, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.

Sed eſto, conſiliatores tui injuſtè tibi diffamari videantur, (utrùm autem jure merito, tu ipſe videris) diffamantur tamen, & hoc apud multos, qui de iis, ipſorumque arbitriis dijudicare facilè poſſunt, cùm ſint docti: nec niſi invidioſiſſimè accuſare præſumuntur. Tu imperitus cùm ſis, de eis judicare haud facilè potes; & quantùm tuâ intereſt, non niſi gratanter excuſare debeas.

S. Aug. lib. de util. cred. In hujuſmodi profectò rerum diſcrimine, imago quædam veræ ac germanæ virtutis æquitatiſque, quàm ex aliquo veriſſimæ pulchritudinis fonte manare credendum eſt, interiori neſcio quâ conſcientiâ meliores quoſque animos, quaſi publicè privatimque hortatur; ut quoties aliqua cauſa inter doctores oboritur, præſertim cum ſeveriori in alteram partem reprehenſione, ſecurum nequaquam ſe quiſquam reputet, nec fallaci atque incerto humanæ opinionis patrocinio ſeſe committat, malitque commodo temporali privari, quàm periculoſam ſalutis ſuæ aleam jacere. Prudentis ſiquidem proprium eſt, inquit Seneca, examinare conſilia, & non citò facili crudelitate ad falſa labi, in dubiis non diffinire; ſed ſuſpenſam tenere

S. Bernard epiſt. 61.

Digitized by Google

tenere ſententiam. Ita S. quoque Thomas docet, non excuſari propter ſimplicitatem auditorum, qui erroneam alicujus magiſtri ſecutus fuerit ſententiam; quia, inquit, in rebus dubiis non eſt de facili præſtandus aſſenſus. *In quodlib.*

Quapropter dicendum cum Lactantio, nullus hic excuſationi, nullus temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit. Immò etſi non deceperit, ſtultitiæ temeritatiſque pœna ſubeunda eſt, dicente Scripturâ, qui amat periculum peribit in illo. Quid utique prodeſt, inquit Petrus Damiani, periculum noſſe, quod non datur evadere: aut quomodò valeat quis ad fontem veritatis attingere, ſi per devios anfractus geſtiat, licet neſcius, oberrare. *Lib. 3 inſtit. cap. 13.* *Opuſc. 6. cap. 29.*

Operæ pretium duxi hanc animadverſionem prælibare argumẽto de ambitu Simoniaco enucleando: cùm enim ille ſubtiliſſimos quoſdam laqueos habeat teſte Guillielmo Epiſcopo Altiſiodorenſi, quibus doctos etiam viros nonnunquam irretire ac comprehendere valeat: cùmq; nulla ſit fatuitas ſine patrono, nulla turpitudo, quæ amaſiũ non habeat: aut ſicut ait S. Cyprianus de aleæ ludis, non deſunt vitiorũ aſſertores blandi & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis authoritatem: Simoniaca lues plures habuit, habebitque defenſores, aut excuſatores, quod plus omnibus aliis avaritiæ atque ambitioni hominum faveat. *Lib. 2. ſummæ tract. 29 quæſt. 3.*

Horum autem authoritate fulti rudiores

Digitized by Google

quilibet introitum ſibi in Eccleſiam quoquo modo patefacere ſtudent. Nec ob aliud ignorantiæ ſuæ cœcitate volvuntur, (ut cum S. Gregorio loquar) niſi ut Eccleſiaſticam fugiant diſciplinam, & perversè habeant, ut voluerint, vivendi licentiam; cùm nec quid deffendant, nec quid ſequantur intelligant.

Lib. 2. reg. ep. 5.

S. Bernard. ſerm. 82.

Indè eſt quod homines tanquam vulpes duplicitatis & fraudis foveas habent, & quia pares vulpibus ſe fecerunt, partes vulpium erunt. Aſtutum naturâ genus eſt animantis vulpes, promptumque admodum ad nocendum in occulto: & videtur mihi, inquit S. Bernardus, cōgruentiſſimè deſignare ſubtiliſſima quędam vitia ſpecie palliata virtutum: nec enim aliter nocere queunt, niſi quod ſe virtutes virtutum quâdam ſimilitudine mentiuntur. Tale quiddam eſt imprimis Simoniæ vitium, quod Doctorum jam adſtipulante patrocinio prodit ſub nomine ſpecieque liberalitatis ac gratitudinis. Et quidem recens vaſtatio vineæ (Eccleſiæ) vulpem indicat affuiſſe: ſed neſcio quâ arte fingendi, ita ſua confundit veſtigia callidiſſimum animal, ut quà vel intret, vel exeat, haud facilè queat ab homine deprehendi: cùmque pateat opus, non apparet vitium, ita per ea quę in facie ſunt cuncta diſſimulat.

Serm. 64.

Idē ſerm. 65

Ep. ad Clerũ Lucenſem.

Ex quo, inquam, ea opinio in Eccleſiâ inolevit (ut verbis Alexandri II. Papæ utar) nulli Clerico quamvis Religioſo, quamvis ſcientiâ & moribus prædito Eccleſiaſticum Bene-

ficium conceditur: niſi ei qui prophano pecuniæ munere illud emere ſtuduerit: fitque Eccleſia & res ejus ita venalis, veluti quædã terrena & vilis merx, negotiantibus ad vendendum expòſita. Quod quidem malum, quàm deteſtabile, quantumque Deo & Sanctis ſit cõtrarium, & ſacri Canones docent, & ferè omnibus manifeſtum exiſtit: hæc etenim eſt communis fidelium quærimonia, ut cum Iſidoro Peluſiota dici etiam meritò poſſit: ſermo terrâ marique ſpargitur nemini rectè viventi ad Sacerdotium jam patere aditum, non quod digni tanto deſint muneri, ſed quod non modo in multitudine deliteſcant, ſed & inviſi ſint, & traducantur atque expellantur. *Lib. 5. epiſt. 276.*

Si auctores inquiras: in fide Chriſtiani ſunt; in converſatione ſæpè irreprehenſibiles, à doctrinâ plerumque commendabiles: omnes ſortiti ſunt miniſterii locum. Ubi jam vulpes? inquit S. Bernardus, tenebamus eam, & quomodò elapſa eſt è manibus? inſtemus, inveſtigemus, à fructibus ejus cognoſcemus eam. Et certè vinearum demolitio teſtatur vulpem. Omnes itaque amici & omnes inimici, omnes neceſſarii & omnes adverſarii, omnes domeſtici & nulli pacifici, omnes proximi, & omnes quæ ſua ſunt quærunt: Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt mammonæ. *S. Bernard. ſerm. 85. & 74.*

Quare ſi ex omni genere curioſitas hominum ſigna collegit inſtantis tempeſtatis (ait Plutarchus) multò magis convenit hâc uti *In moral.*

Digitized by Google

diligentiâ in conſultationibus, ut obſervatis experimentis conjiciant, quid malorum in unoquoque perperam inſtituto conſequatur. Ideòque & illos hac Salvatoris ſententiâ ſignari intelligamus, cœci ſunt & cœcorum duces. Cœci ſunt duces, quod cùm hujuſmodi mala in ore omnium querelosè verſentur, ipſi tamen modos ea perpetrandi inconſultè ſuggerant ac perſuadeant. Cœci ſunt etiam eorum ſectatores, non quod imperiti ſint: Cœcitas enim mentis, quâ bonum cùm latet, juſtum non delectat, quamquam magnum malum ſit, non tamen propterea Deus vult nos eſſe damnabiles, ſed humiles. Verùm potiùs propter cœcitatem cordis, quâ noluerunt intelligere ut benè agerent: cœcitas enim cordis, inquit S. Auguſtinus, ſi peccatum non eſſet, injuſtè argueretur: arguitur autem juſtè, dum dicitur Phariſæe cœce.

S. Aug. lib. 2 de pec. merit cap. 17.

Lib. 1. oper. imperfect.

Porrò cœcitas cordis eſt avaritiæ cupiditatiſque ardor mentis lumen obnubilans, de quo S. Iſidorus ait, non poteſt oculus mentis alta videre, quem pulvis claudit: ac ſi apertiùs diceret, inquit S. Bernardus, non poteſt oculus mentis perfectè cœleſtia conſpicere, quem pulvis clauſit concupiſcentiæ.

Serm. 61. de modo benè vivendi.

Enimverò non eſt obſcura S. Petri ſententia, donum Dei pecuniâ non poſſideri. Audivit hoc imperitus quivis in Eccleſiâ ſæpiùs recitari: actus tamen cupiditatis æſtu, conſulendum ſibi putat de modo, quo pecuniâ poſſit donum Dei

Digitized by Google

poſſidere. Ideòque cum Bernardo ulterius videtur urgendus: hujus patrandi mali quærendam putaſti eſſe licentiam. Sed ad quid? an ut quantò licentius, tantò ſecurius, & quò ſecurius eò periculoſius peccares? Mira cautela & ſtupenda providentia: malum quod jam in corde conceperat, opere cautus fuit non implere, niſi cum licentiâ: concepit dolorem, & non peperit iniquitatem, donec iniquo conſultor conceptui præbuiſſet aſſenſum. Ita ille. *Epiſt. 7. ad Adam. monach.*

Verùm etiam, quis eſt ille quem conſulis? opinor ipſemet, à quo non dubitas, quam cupis obtinere licentiam: cujus videlicet opinio corruptæ ſeu laxatæ doctrinæ ſuſpicione laborat. Et hunc conſulis? Certè non eſt hoc quærere patrocinium ad cauſam, ſed comitem ad gehennam. Recede obſecro, ne ſi cœcus cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant. Et te jam ſub perſonatâ Pluti larvâ ab ipſis prophanis Scriptoribus repræſentari iderique animadverte, qui cœcus & claudus depingitur, cœcus quidem ſemper, claudicans verò quoties ad bonos viros mittitur, aliàs pedibus perniciſſimis. *S. Aug. ſerm. 18 de verb. Domini.*

Relinquamus igitur iſtos non inventores ſponſæ, ſed venditores, & inquiramus potiùs illos, à quibus ſponſa ſe inventam loquitur. Et quidem illorum iſti ſortiti ſunt miniſterii locum, ſed non zelum: ſi qui hunc retinent, illos adeamus. Ipſorum ſanè conſilium longè ſemper *S. Bernard. ſerm 77.*

faciet à nobis malum tempori vetus, ſed cupiditati novum, Simoniam, & matrem ejus avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus. Hæc eſt digna planè S. Bernardo ſententia: ad quam non ſolùm illi qui conſilia petunt, ſed ipſi etiam conſiliatores ſedulò animadvertere debent, nè à veritate aberrando exiſtiment, beneficia Eccleſiaſtica pecuniarum interventu quoquo modo procurari poſſe, pravitatemque Simoniacam ullâ arte excuſari. Undè & S. Gregorius ait: Itaque Fratres chariſſimi, in ordinandis, promovendiſque Sacerdotibus ac miniſtris ſinceritas vigeat: ſit ſimplex & ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, (ceu collatio, reſignatio, &c.) ut ad munera Sacerdotii non ſuffragio venditorum provectus, ſed Dei credatur eſſe judicio.

Epiſt. 42. ad Hen. Senon.



Digitized by Google

INDEX CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Origine Simoniæ.

§. I.

DE præcipuis Simoniacis in veteri Teſtamento, de vitâ turpi illorum, atque infœlici exitu. pag. 1

§. 2. *De Simone Mago, qui turpem quæſtum primus in Eccleſiam invexit, & à quo Simonia nomen ſuum accepit.* 6

CAPUT SECUNDUM.

De virulentâ Simoniæ naturâ.

§. I.

QVod Simonia ſit hæreſis quædam, idololatria, & furtum ſacrilegum. 9

§. 2. *Simonia eſt ſcelus graviſſimum.* 12

§. 3. *Simonia eſt ſpiritualis quædam lepra, peſtis, & cancer.* 17

Digitized by Google

CAPUT III.

De pernicioſis effectibus Simoniæ.

§. 1.

Simonia Eccleſiam ignorantiæ tenebris obvolvit, ejus ordinem conturbat, gratiam Spiritus S. ab eâ auffert, atque illam omnibus mercatorum generibus fœdè proſtituit. pag. 24

§. 2. *Simonia ſicut probos excludit ab Eccleſiâ, ita cujuſvis generis indignos introducit.* 30

§. 3. *Simoniaci non niſi infideliter Eccleſiam adminiſtrant, & turpis lucri causâ.* 34

§. 4. *Simoniaci laborantium ſtipendia ſine labore colligere volunt.* 40

§. 5. *Simoniaci nullam vitæ Clericalis formam exhibent, ſed prorſus irregulariter vivendo, grave plebi chriſtianæ ſcandalum afferunt.* 44

§. 6. *Simoniaci tonſuram Clericalem, per quam ſacris initiati fuêre, geſtare detrectant.* 49

§. 7. *Pudet Simoniacos veſtẽ Clericalẽ geſtare.* 56

§. 8. *Cùm Simoniaci indigni ſint pretioſo continentiæ dono, contigit ut in impudicam Nicolaitarum hæreſim prolaberentur.* 70

§. 9. *Simoniaci bona Eccleſiæ, quæ pauperum patrimonia dicuntur, in ſuperfluos ſumptus inutiliter expendant.* 75

§. 10. *Cùm Simoniaci nunquam ſatis habeant pro inutilibus expenſis ſuis, coacervant Præbendas & Beneficia.* 82

§. 11. *Simonia litibus, jurgiis, & contentionibus Eccleſiam replet.* 99

Digitized by Google

CAPUT IV.

De pœnis & obligationibus Simoniacorum.

§. I.

DE *depoſitione & excommunicatione per* Ca*nones in ipſos decretâ.* pag. 105.

§. 2. *Sicut Simoniaci ſine ullâ miſericordiâ deponendi ſunt, ita per qualemcumque pœnitentiam nunquam reſtituendi.* 110

§. 3. *De obligatione dimittendi Beneficia quæ ſimoniacè accepta ſunt, eorumq; fructus.* 112

§. 4. *De pœnâ corporali, ac nota infamiæ per Canones Simoniacis irrogatâ.* 117

CAPUT V.

De miraculis ad deteſtationem Simoniæ à Deo factis.

§. I.

QVomodo Monachi S. Ioannis Gualberti propalaverint per ignem Simoniam Petri Papienſis Archiepiſcopi Florentini. pag. 121

§. 2. *De duobus Simoniacis, quorum unus Spiritum Sanctum pronuntiare non potuit, alter mente amiſſâ, vagabundus factus eſt.* 124

§. 3. *De tribus aliis Simoniacis, quorum unus gravi morbo vexatus, alter repentinâ morte mulctatus, tertius de ſepulturâ Eccleſiaſticâ ejectus fuit.* 126

Digitized by Google

CAPUT VI.

De variis artibus, quibus Simoniaci ad velandam turpitudinis ſuæ infamiam olim uſi fuêre.

§. 1.

DVrum eſt cor Simoniacorum & ad converſionē inflexibile, qui etiam dum confunduntur, ad fraudes ſeipſos convertunt. pag.129

§. 2. *De prætextu conſuetudinis, quam Simoniaci inaniter allegarunt.* 133

§. 3. *Sub obtentu eleëmoſynæ faciendæ aliqui pecuniam accipiebant, quod Patres ex dictamine legis divinæ reprobarunt.* 136

§. 4. *Quomodò Simoniaci profiterentur ſe tantùm emere jus percipiendi fructus, quod temporarium quiddam eſt: eo tamen nonobſtante Simoniam juris divini committunt.* 138

§. 5. *Quomodo Simoniaci dando pecuniam ante vel poſt acceptum Beneficium Eccleſiaſticum, infamiam ſui criminis devitare intendebant.* 152

§. 6. *Propter cavillationes Simoniacorum, Eccleſia coacta fuit varias clauſulas decretis ſuis adjicere, atque in iis Simoniacos jurare compulit, ſe nullo modo pecuniam dediſſe.* 154

CAPUT VII.

De velamine quo Simonia palliata hoc tempore graſſatur.

§. 1.

SImoniaca lues artificio dæmonis palliata etiamnum ſerpit. pag. 160

Digitized by Google

§. 2. *Quamquam nonnulli offendendi videantur; hortantur tamen Patres ad propalandam Simoniam, ut infirmiores inde emendari poſſint.* 164

§. 3. *De oblatione ac retributione munerum, per qua recentiores Simonia infamiam declinare putant.* 170

§. 4. *Mirum eſt Veteres expeditam hanc Simonia declinanda rationem ignoraſſe.* 174

CAPUT. VIII.

Deformatio Cleri non minùs eſt ex muneribus ad movendum aut retribuendum oblatis ſequitur, quàm ex apertâ Simoniâ.

§. 1.

QVi Beneficia Eccleſiaſtica conferunt, munerum largitione, aut retributionum expectatione corrupti, indignos meritis divites promovent, pauperibus dignis repudiatis. pag. 181

§. 2. *Opinio de munerum ac retributionum elargitione, ſpretâ vocatione divinâ, viam parat ambitioni.* 186

§. 3. *Qui per munera & retributiones ad ſacerdotia devenerunt, parùm regulariter vivunt, in gravem ſui ac plebis perniciem.* 190

§. 4. *Qui per munera ac retributiones beneficia acceperunt, jugū reſidentia excutere ſolent.* 195

§. 5. *Exitialis eſt Eccleſia oblatio munerum, ac retributionum gratificatio.* 203

Digitized by Google

CAPUT IX.

Sicut Veteres Simoniaci turpes quæſtus ſuos munerum ac gratificationum prætextu velabant, ita Patres illa tanquam Simoniaca averſati fuêre.

§. 1.

SImoniaci à Iudæis & Montaniſtis hunc prætextum mutuati ſunt, quod non pretia, ſed munera tantùm ad movendum vel ad retribuendum offerrent. pag. 206

§. 2. *Leges divinæ & humanæ Simoniam reprobantes, non tam modum contractus, quàm avaritiam & turpem quæſtum ſpectarunt.* 211

§. 3. *Propter labem avaritiæ Scriptura paßim deteſtatur munera & retributiones in iis rebus, quæ gratis fieri debent.* 215

§. 4. *Hinc etiam Concilia & Patres munera & retributiones in diſtributione beneficiorum tanquam ſimoniaca condemnarunt.* 217

§. 5. *Eâdem de causâ Viri ſancti ſemper munera deteſtati fuêre.* 222

CAPUT X.

De intentione per quam munera & retributiones vitiantur.

§. 1.

QVod nullâ arte ſimonia poßit palliari, cùm ex ſolâ intentione pateſcat avaritiæ labes. 228

§. 2. *Quandocumq; pecunia intervenit, & per eam beneficium comparatur, ſimonia cõmittitur.* 233

CAPUT XI.

De diſtinctione veræ liberalitatis ac gratitudinis à quæſtu turpis lucri.

§. 1.

QVid ſit vera beneficentia & gratitudo, & in quo earum leges conſiſtant. pag. 238.

§. 2. Vndè conventio tacita ac voluntas illiberalis deprehendi poſſit? 244

§. 3. Patres ejuſmodi munerum ac retributionum oblationes contractui emptionis venditionisq; comparant. 249

§. 4. Sicut ille qui ad ſuum commodum reſpicit, non niſi ſubdolè benefacere ſe velle ſimulat: ita qui nihil reddiderit, ingratus dici nullo modo poteſt. 253

CAPUT XII.

Ex comparatione uſuræ cum Simoniâ, illuſtrantur ea, quæ dicta ſunt de benevolentiâ & gratitudine.

§. 1.

CVm uſuræ vitium palliaretur prætextu gratitudinis, reſponſum eſt eum qui mutuum daret eo animo, ut plus reciperet, uſurariũ reputari. 261

§. 2. De circumſtantiis mutui & collationis beneficii, propter quas gratis fieri debent. 264

CAPUT XIII.

Gratificatio munerum ac retributionum pro beneficiis indè vitioſa efficitur, undè contractus Simoniacus ſpecialiter malus exiſtit.

§. 1.

Cum res ſpiritualis nullo commodo temporali compenſari poſſit, irreligiosè munera aut retributiones pro eâ offeruntur. pag. 270

§. 2. *Cùm Collator Beneficii non ſit Dominus, ſed miniſterium tantùm exhibeat, non ipſe retributione dignus eſt, ſed potiùs Deus.* 274

§. 3. *Cùm beneficia aliaq; dona ſpiritualia ex gratuitâ Dei voluntate proveniant, nonniſi gratis ſunt diſtribuenda.* 277

CAPUT XIV.

Quomodò animus quæſtuoſus & ſimoniacus à gratuito & benevolo diſcerni poſſit.

§. 1.

Qui ad proprium commodum reſpicit beneficiū conferendo, habet animum ſimoniacum; ideòq; dum cognoveris eò ſpectâſſe, cavendum eſt ne retribuas. pag. 281

§. 2. *Per comparationem animi quæſtuoſi cum benevolo, colligitur quodnam ſit inter utrumque diſcrimen.* 286

§. 3. *Plerique cupiditatis illicio ſic obliniuntur, ut negent ſe quæſtum ſectari, dum ex ſpecie ipſius actionis de eo convincuntur.* 295

Digitized by Google

§. 4. *Nullum majus exhiberi poteſt benevolentiæ teſtimonium, quàm ſi beneficia Eccleſiaſtica dignis conferantur.* 299

CAPUT XV.

De quibusdam caſibus, in quibus apparet temporale ad commutationem rei ſpiritualis dari poſſe.

§. I.

De ſtipendiis eorum qui in actibus ſpiritualibus deſerviunt. pag. 308

§. 2. *Quâ ratione liceat aliquem invitare ad ingreſſum Monaſterii, & ſpecialiter de dotibus Monialium.* 316

§. 3. *Cur liceat provocare pauperes per eleëmoſynas ut pro nobis orent, non autem liceat provocare Collatorem per munera ut beneficium nobis donet.* 321

§. 4. *Quatenus ad preces alicujus beneficia conferre ſit ſimoniacum.* 324

§. 5. *Quâ ratione præſtare obſequia cum reſpectu ad beneficia Eccleſiaſtica ſit ſimoniacum.* 328

§. 6. *Quomodo conferre beneficia Eccleſiaſtica intuitu conſanguinitatis poſſit eſſe ſimoniacum.* 329

§. 7. *De penſionum abuſu, quibus Simonia etiam palliari ſolet.* 334

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De obligatione dimittendi, ſeu reſtituendi ea, quæ prætextu gratificationis munerum aut retributionum ſimoniacè accepta fuêre.

§. 1.

VTrum accepta per ſimoniam de jure divino ſint dimittenda. 344

§. 2. *Quæ prætextu munerum aut retributionum accepta ſunt ſimoniacè, ex diſpoſitione etiam juris Eccleſiaſtici ſunt dimittenda.* 359

Peroratio Parænetica ad Clericos. 363

DE

DE SIMONIA, ET MUNERUM AC RETRIBUTIONUM GRATIFICATIONE IN RE BENEFICIARIA.

CAPUT PRIMUM.
De Origine Simoniæ.

§. I.

De præcipuis Simoniacis in veteri Teſtamento, de vitâ turpi illorum, atque infælici exitu.

PROPHANUS rerum ſacrarum quæſtus plures ante legem Evangelicam authores habuit, qui omnes & à vitâ moribuſque infames fue-

Digitized by Google

runt, & exitiali fine periêre.

Gen. 25. Primus inter eos Eſaü ejus criminis reus dicitur, quod primogenita ſua, quæ ſpiritualis erant prærogativa, & ſpeciali quâdam benedictione cõſecrabantur, fratri ſuo vendiderit. De *cap. 12.* eo ſic loquitur Apoſtolus in ep. ad Hebræos: ne quis fornicator aut prophanus ut Eſaü qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua: ſcitote enim, quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrimis inquiſiſſet eam.

Porrò licet Jacob jus illud primogenituræ ab eo emiſſet, excuſatur tamen ab omni peccato, quia debebatur ei, inquit S. Thomas, ex divi- *2.2.q.100.* nâ electione, ſecundùm illud Malach. 2. Jacob *art.4.ad 3.* dilexi, Eſaü autem odio habui: & ideò Eſaü peccavit primogenita vendens: Jacob autem non peccavit emendo, quia intelligitur ſuam vexationem redemiſſe.

Secundus qui Eſaü annumerari poteſt, eſt *num. 22. 23. & 24.* exoſus Propheta Balaam, qui interpellatus à Balach rege Moab, ut ſecundùm poteſtatem cælitùs acceptam malediceret populo Iſraël, renuit primùm: ſed deinde munerum quę oblata illi fuere cupiditate illectus, ivit ut malediceret, ſed maledictio ejus verſa eſt in benedictionem.

Ep.2. cap.2. De eo ejuſque ſequacibus Simoniacis ita S. Petrus cor exercitatum in avaritiâ habentes maledictionis filii, derelinquentes viam rectam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mer-

mercedem iniquitatis amavit, correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ ſubjugale mutum animal in hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam. Hi ſunt fontes ſine aquâ, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur.

Fuerunt prætereà alii multi Prophetiæ dono inſigniti, ſed cum deinde munera acciperent, Prophetia quæ Dei erat donum in divinationẽ (quæ diabolica eſt) vertebatur. Ita S. Hieronymus ait: nunquam divinatio in Scripturis in bonam partem accipitur: non eſt augurium in Jacob, neque divinatio in Iſraël: videbantur ſibi quidam eſſe Prophetæ, ſed quia pecuniam accipiebant, Prophetia ipſorum facta eſt divinatio. *In cap. 3. Michea.*

Tertius ab illis eſt Hieroboam, de quo Scriptura his verbis breviter refert: poſt verba hæc non eſt reverſus Hieroboam de viâ ſuâ peſſimâ: ſed è contrario fecit de noviſſimis populis Sacerdotes excelſorum. Quicumque volebat, implebat manum ſuam; & fiebat Sacerdos excelſorum, & propter hanc cauſam peccavit domus Hieroboam, & everſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ. *3. Reg. 13.*

Nota eſt etiam hiſtoria Gieſi ſervi nequam optimi Prophetæ Eliſei, qui recuſaverat munera Naaman Syri, cujus lepram ſanaverat: unde Gieſi aliquid pro ſe per aſtum ſurripere tentavit, dicens: Pepercit Dominus meus Naaman ſyro iſti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram poſt eum, & accipiã *4. Reg. 5.*

 ab

Digitized by Google

ab eo aliquid. Cucurrit poſt eum, & confiсto mendacio accepit duo talenta. Sed reverſus ad Eliſeum herum ſuum, hæc ab ipſo audivit: nunc igitur accepiſti argentum & accepiſti veſtes, ut emas oliveta & vineas & oves & boves & ſervos & ancillas: ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque in ſempiternum. Et egreſſus eſt quaſi nix ab eo leproſus.

2. Machab. 4. His addi poſſunt Jaſon & Menelaus, quorũ primus pluribus oblatis muneribus regi Antiocho, obtinuit, ut Onias frater ſuus è ſummo ſacerdotio ejiceretur: ipſe verò in ejus locum ſubſtitueretur. Is autem ſtatim ad gentilem ritum contribules ſuos transferre cæpit; ita ut Sacerdotes jam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto templo & ſacrificiis neglectis feſtinarent participes fieri paleſtræ & præbitionis ejus injuſtæ & in exercitiis diſci, & patrios quidem honores nihil habentes, græcas glorias optimas arbitrabantur, quarum gratiâ periculoſa eos contentio habebat, & eorum inſtituta emulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremptores habuerant.

Menelaus ab ipſo Jaſone miſſus, ut munera deferret Antiocho, commendatus regi fuit cum magnificaſſet faciem poteſtatis ejus, in ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium ſuper-ponens Jaſoni talenta argenti trecenta.

cap. 5. Uterque fuit cauſa ingentium malorum quæ referuntur in libris Machabeorum: ſed Jaſon

ad

ad ultimum in exitium ſui concluſus ab Arethâ Arabum tyranno, fugiens de civitate in civitatem omnibus odioſus, ut refuga legum, & execrabilis ut patriæ & civium hoſtis, in Ægiptum extruſus eſt: & qui multos de patriâ ſuâ expulerat, peregrè periit Lacedæmonas profectus, quaſi pro cognatione ibi refugiũ habiturus. Et qui inſepultos multos abjecerat, ipſe & illamẽtatus & inſepultus abjicitur, & neq; ſepulturâ peregrinâ uſus, neque patrio ſepulchro participãs.

Menelaus verò ſuggerente Lyſiæ Antiocho, quod eſſet cauſa omnium malorum, apprehenſus in eodem loco necatus eſt, hoc modo. Erat ibi turris quinquaginta cubitorum aggeſtum undique habens cineris, hæc proſpectum habebat in præceps: inde in cinerem dejici Antiochus juſſit ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum. Et quidem ſatis juſtè, nam qui multa erga aram Dei delicta commiſit, cujus ignis & cinis erat ſanctus, ipſe in cineris morte damnatus eſt. *cap. 13.*

Tandem vergente ad occaſum Synagogâ ambitioſi multi Judæi ſacerdotia à Babiloniis, Romanis aliiſque barbaris, quibus erant ſubjecti paſſim emebant: ut inde Simonia judaica & ægyptiaca conſuetudo à Patribus dicta ſit. Inter illos autem ſingulariter notandus eſt Caïphas, qui Chriſtum morte damnavit, is enim unius anni Pontificatum ab Hærode redemit, & ab ipſo Synodus ſeptima Simoniam traditionem Caïphæ appellavit. Propter hujuſmodi rerum

Vide Ioſephũ de antiquit. Iudaic.
Vide Palladium in vita S. Chryſoſt.
Ioſeph. lib. 18. antiq. cap. 9.
Act. 1. anathem. 7.

In cap. 3. Michea. divinarum quæſtum, ſcribit S. Hieronymus, non eſſe ambigendum ſubverſam eſſe Hieroſolymam.

Hi fuêre primi Simoniacæ pravitatis authores, qui ſicut turpiſſimum vitæ genus traduxerunt, ita peſſimo fine eandem abſolverũt. Eorum autem ſectatores, inquit Hugo de S. Victore, ſicut non ſunt in errore diverſi, ita nec in damnatione diviſi. *Lib. de Sacram. part. 10.*

§. 2.

De Simone mago, qui turpem quæſtum primus in Eccleſiam invexit, & à quo Simonia nomen ſuum accepit.

Vide S. Hier. comm. in Matth. l. 4. cap. 10. QUoniam in lege veteri providè cautum fuerat, quod miniſteria ſacra ad ſucceſſores hæreditario jure tranſmitterentur, omnis avaritiæ ambitioniſque exercendæ occaſio præcludebatur: ſic enim Deo jubente Pontifices Patribus ſuccedebant, ut generis ſeries texeretur in Sacerdotibus; exteri verò ab eorum contubernio prorſus excluderentur.

Vide Euſeb. lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 10. Verùm legalibus præceptis barbarorum vi & ambitione indigenarum ceſſantibus, nulli ex poſteris Pontificatus ſacerdotaliſque honor reddebatur, niſi qui illum prophano auri pretio redemiſſet. Inde nihil ſibi jus generis, immò nec

nec vitæ meritum in ſacris illis officiis vendicabat: ſed totum ambitioni eorum qui potiora munera afferebant concedebat, ita ut annuis tandem ſucceſſionibus ſacerdotia continuò mutarentur.

Sic Chriſtus Dominus in novâ lege ſanciendâ, cùm adminiſtratores donorum ſuorum vellet uſquequaque eſſe irreprehenſibiles, non equidem inſtituit, ut ſibi invicem hæreditario jure ſuccederent, ſed potius ut electione atque ordinatione miniſtri ad Eccleſiaſtica officia promoverentur, adjecto inſuper expreſſo mandato, quod non niſi gratuitò eadem obtinerent: gratis accepiſtis, inquit, gratis date. *Matth. 10.*

Hoc utique præceptum à diſcipulis ejus religiosè ſervabatur, cum infidelis quidam magus Simon nomine fidem ſimulans, teſte S. Irenæo, *Lib. 1. c. 20.* eorum integritatem aggreſſus eſt, atque oblatâ pecuniâ petivit ſibi hanc poteſtatem, ut qui- *Act. Apoſt. 8* cumque, inquit, impoſuero manus accipiat Spiritum ſanctum. Hinc rerum ſacrarum quæſtus ab ipſo nomen Simoniæ accepit.

Verùm contra ipſum providentia divina (ut *Lib. 2. hiſt.* verbis Nycephori Callyſti utar) quaſi anteſig- *eccl. cap. 14.* nanum & inſuperabilem atque invictum fidei propugnatorem, qui virtutis ardoriſque gratiâ primas inter Apoſtolos divinitùs eſt aſſecutus, Petrum, perinde atque contra feram agreſtem illicò excitavit, qui hujuſmodi muneris oblationem deteſtatus, illum & ejus pecuniam juſſit ire in perditionem.

Petrus

lib. 2. de pœnit. cap. 4. Petrus Simoni, inquit S. Ambroſius, qui cum magicæ artis conſuetudine depravatus putaſſet, quod gratiam Chriſti per impoſitionem manus, atque infuſionem Spititus ſancti compararet pecuniâ, ait: Non eſt tibi pars neque ſors in hac fide, quia cor tuum non eſt rectum apud Deum, &c. Vides quod hunc magicâ vanitate blaſphemantem in Spiritum ſanctum Apoſtolicâ authoritate condemnet.

Hæc eſt hæreſis, quæ ipſa naſcentis Eccleſiæ rudimenta tentavit, inquit S. Gregorius, & ante alias hæreſes prima apparuit, cujus erroris veſania, licet ex tunc damnata fuerit, poſtea tamen in Eccleſiâ germine peſtifero pullulavit: poſtremis verò temporibus malitiæ vires exercuit, & totius Eccleſiæ pacem ſchiſmaticâ infeſtatione turbavit. *In pſal. 4. pœnit. ad illud tota die exprobrabât*

Contra eam autem perpetuò inſurrexerunt Patrum, Pontificum ac Conciliorum Eccleſiæ decreta, quibus illam averſari, condemnare ac execrari ſe teſtabantur. Anathematiſamus itaque & irreparabiliter condemnamus, inquit Petrus Damiani, Simoniacam hæreſim, primam omnium hereſeon ex imis diaboli viſceribus erumpentem, ſeſeque adverſus naſcentis Eccleſiæ regulam exitialiter extollentem, quæ nimirùm adhuc ex ipſo diaboli felle progreditur, & in perditionis filios peſtilentiſſimè derivatur. *Opuſc. 30. cap. 1.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.
De Virulentâ Simoniæ naturâ.

§. I.

Quod Simonia ſit hæreſis quædam, idololatria., & furtum ſacrilegum.

QUAMQUAM Simonia error mentis propriè non ſit, hæreſis tamen nomine non incongruè appellatur, eaque prima à Patribus dicitur, quæ contra Dei Eccleſiam diabolicâ plantatione ſubrepſit. Eſt enim exterior quædam & realis proteſtatio infidelitatis, quatenùs quis vendẽs donum Spiritus ſancti, ſignificat ſe Dominum eſſe ejus doni, quod eſt hæreticum, inquit S. Thomas. *S. Greg. l. 7 reg. ep. 114.* *2. 2. q. 100. art. 1. ad 1.*

Accedit etiam, quod in quantùm quis mediante pecuniâ alterum efficit ejuſmodi doni participem, arguitur (tanquam ab actu ad potentiam) exiſtimare donum Dei pecuniâ poſſideri poſſe, qui eſt error ipſius Simonis magi à S. Petro declaratus. Quiſquis igitur res Eccleſiaſticas, inquit Urbanus II. quæ dona Dei ſunt, quoniam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur, *Act. Apoſt. 8* *Apud Gratian. 1. q. 3. cap. ſalvator.*

donantur, quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent, propter ſua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecuniâ exiſtimat.

Porrò finis ſeu motivum hujus vitii eſt pecuniæ cupiditas, quæ ſicut malorum omnium eſt radix, ita Simoniacorum excæcat mentes pellicitque voluntates, quod non vereantur donis impretiabilibus Spiritus ſancti abuti, ut avaritiæ ſuæ ſatisfacere valeant. Animadvertis, inquit Urbanus II. Simon Magus qui ad fidem fictè acceſſit, non Spiritum ſanctum propter Spiritum ſanctum, quo ipſe erat indignus (quoniam ut ſcriptum eſt Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum) ſed ideò quantùm in ipſo erat emere voluit, ut ex venditione ſignorum quæ per eundem fierent multiplicatam pecuniam lucrarentur. Nec Apoſtolus emptionem Spiritus ſancti (quam benè fieri non poſſe noverat) ſed ambitionem quæſtus talis & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis jaculo perculit.

1. Tim. 6.

Iam cit.

Hæc eſt communis Patrum Doctorumque ſententia, qui paſſim tradunt Simonem ideò dona Spiritus ſancti emere voluiſſe, ut ea deinde ad ſua lucra converteret. Sic Simoniaci ejus veſtigia ſecuti dedignarentur Spiritum ſanctum, ejuſque dona, quæ parvipendunt pretio comparare, niſi multiplicatam ex illis pecuniam cum fænore eſſent reportaturi. Etiam in ſinu

Vide S. Aug. tract. 10. in Ioan. S. Epiph. hæreſ. 21. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1 ad 4. & alios.

Sacer-

Sacerdotum ambitio dormit, ait S. Cyprianus, & in ſecreto thalami, & fraudulenter occultat. Simon Apoſtolorum temporibus; venalem putans Spiritum ſanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere poteſtatem, per quam plura lucretur. *Ser. de jejun. & tẽtat. ſub finem.*

Cum autem omnis avaritia idolorum ſit ſervitus, nullibi turpius ac ſceleſtius ea exercetur, quam cum Spiritus ſanctus resque ipſi dicatæ Mammonæ quodammodò conſecrantur, ac ſubſervire coguntur. Ideoque quiſquis avaritiam, inquit S. Gregorius, maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni ſubjicitur, etiamſi tenere fidem quam negligit videatur. Propter avaritiam iſta fiunt, ait S. Baſilius, avaritia verò malorum omnium radix eſt, & idololatria vocatur. Ne velitis ergo modicæ pecuniæ gratiâ idola Chriſto præferre, neque Judam ſectantes quæſtus gratiâ ſecundò illum prodere, qui ſemel pro nobis cruci eſt affixus; alioqui & ipſi agri & manus eorum, qui hos fructus metunt, haceldama vocabuntur. *Ad Galat. 4.* *Lib. 9. reg. epiſt. 53. ad Theod. Reg.* *Epiſt. 76.*

His accedit furti iniquitas, quâ res ſummæ eſtimationis, dona videlicet Spiritus ſancti auferuntur, uſurpanturque invito Domino. Unde & Chriſtus ipſe farraginem Simoniacorum nomine ſpeluncæ latronum expreſſit. Qui taliter ordinantur, inquit Gregorius VII. non per oſtium, ideſt per Chriſtũ intrant, ſed ut ipſa veritas teſtatur, fures ſunt *Matth. 21.* *Lib. 6. reg. in Synod. Rom. an. 1078.*

&

Digitized by Google

& latrones. Quatenùs autem ejuſmodi res ſacræ ſunt, & ipſi Deo conſecratæ, ſacrilegii crimen eſt: undè & Simonia ſacrilega nundinatio à Patribus vocatur. A ſacrilegio quoque hoc facinus non diſpar dixerim, inquit S. Gregorius, cùm id quod ſpontè & ſancto deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, ſub pecuniæ pactione cauſatur.

Ep. ad Epiſc. hiſp. apud Gratian. 1. q. 3. c. audivimus.

§ 2.

Simonia eſt ſcelus graviſſimum.

NOn equidem ſatis nos intelligimus, qui ſecundùm ea quæ in faciem apparent judicare ſolemus, quàm infame ſit flagitium Simonia: verùm Patres Eccleſiæ qui obtutibus cælitùs illuſtratis res, prout in ſe ſunt, inſpicere æſtimareque conſueverunt, eam in tantùm execrati fuêre, ut non niſi cum gravioribus ſceleribus comparari poſſe, immò & omnia crimina impietate ſuâ excedere paſſim teſtentur.

Tolerabilior eſt Macedonii & eorum qui ab illo ſancti Spiritus impugnatorum hæreſis, inquit Taraſius Conſtantinopolitanus, nam cùm illi ſanctum Spiritum Dei & Patris creaturam & ſervum nugentur, hi ſuum ipſorum, quantùm putant, ſervum ipſum faciunt. Omnis enim dominus quidquid habet, cùm libuerit vendit, ſivè famulum, ſive aliquid aliud ex his quæ poſſidet. Similiter & qui emit, volens

Ep. ad Adrian. pap.

emptæ

emptæ rei Dominus fieri, argenti pretio eam acquirit. Ita qui hoc nefarium facinus admittunt, ſanctum deprimunt Spiritum, æquè peccantes atque illi, qui Chriſtum in Beelzebud ejicere dæmonia ore blaſphemo dicebant: vel ut verius dicam Judæ proditori ſunt ſimiles, qui Dei interfectoribus Judæis argenti pretio Dominum vendidit. Quando igitur Spiritus ſanctus conſubſtantialis eſt Chriſto Deo noſtro, perſpicuum omninò eſt, eos in eadem parte ac ſorte numerandos eſſe, ut demonſtravimus.

Similiter S. Bruno Signienſis ait: ſi magnum peccatum fuit vel emere Chriſtum, magnum utique peccatum eſt, vendere vel emere Spiritum Sanctum: Æquales enim ſunt Pater & Filius & Spiritus ſanctus: Judas eſt qui vendit, Judæus eſt qui emit; utrumque autem & vendentem & ementem de templo Dominus ejecit. *Opuſc. cur corruptus Eccleſiæ ſtatus.*

Spiritus ſancti donum pretio comparari, quid aliud eſt, quàm capitale crimen (ait Author ille quem Gratianus nomine S. Gregorii Nazianzeni citat) & Simoniaca hæreſis, quod quàm deteſtabiliter in utroque Teſtamento vindicatum ſit, multorum exemplis facilè apparet. Giezi gratiam ſanitatis Naaman Syro vendidit, eandem gratiam ſanitatis Hæliſæo vindicante leproſus factus amiſit. Judas omnium Redemptorem vendidit, mox laqueo ſuſpenſus eandem Redemptoris gratiam non obtinuit. *1. q. 1. cap. quiſtudet.*

obtinuit. Et meritò, quia nemo poteſt obtinere quod vendidit. Simon etiam Magus cùm eandem Spiritus ſancti gratiam emere vellet, damnationis ſententiam à Petro audivit: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri. Dominus etiam ut vendentes & ementes hujus gratiæ expertes oſtenderet, cunctos peccatores per gratiam in templo dimiſit, ſingulariter vendentes & ementes increpans & flagellans, de templo ejecit, in quo venditores & emptores ſuos gratiâ Spiritus ſancti conſtat deſtitutos eſſe & vacuos. Quos enim Chriſtus ejecit de templo, numquid Spiritus Chriſti faciet ſibi templum?

Lib. 4. ad c. 4. Lucæ. S. Ambroſius etiam dicit: inexplicabilis eſt venditi culpa myſterii, & gratiæ vindicta cæleſtis tranſit ad poſteros...... Moabitæ & cœteri non intrabant Eccleſiam uſque ad tertiam & quartam generationem, tamdiu videlicet (ut ſimplicius interpretemur) donec culpam authorum multiplicis ſucceſſio generationis aboleret. Sed cùm illi qui in Deum idololatriæ errore deliquerunt, in quartam generationem videantur eſſe mulctati, profectò durior videtur eſſe ſententia, quâ Giezi ſemen uſque in æternum pro cupiditate habendi propheticâ authoritate damnatur.

In declam. Væ, Væ, in domo Dei horrendum videmus, ait S. Bernardus, quidni idololatras miniſtrantes: mentior, ſi non idolorum ſervitus avaritia

avaritia eſt: quod enim quiſque præ cœteris colit, id ſibi Deum conſtituiſſe probatur.

Paſchalis Papa, ſic ait: patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus reſpuendos, & ſi commoniti non reſipuerint, ab exteris poteſtatibus opprimendos. Omnia enim crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſeos, quaſi pro nihilo reputantur. *Apud Gratian. 1. q. 1. cap. fin.*

S. Petrus Damiani ita Simoniacos alloquitur: omnium perditorum vos extremis dignos ſuppliciis arbitramur. Nimirùm Judas Dominum purum hominem credens vendidit, ſed mox pretium ſanguinis digna luiturus abjecit. Vos autem nihil dé divinitate Spiritus Sancti ambigentes commercium illi venalitatis aſcribitis, & perpetrati ſacrilegii commodum poſſidetis, quique fueratis ultione plectendi, ſcelera commiſſa lucramini. Quibus ergò vos meritò comparaverim, qui divina munera non vobis, ſed aliis habetis, & quæ illis ad ſalutis proveniunt cumulum vobis in judicium perditionemque vertuntur. Judæis planè vos ſimiles video, qui medullitùs divinæ legis ignari, Chriſti fidelibus per orbem ubique facti ſunt ſcrinarii. *Opuſc. 6. qui gratiſſimus inſcribitur cap. 37.*

Immanitate porrò cruenti & ſceleratiſſimi criminis veſtri (ait ibidem) adulteros vincitis, homicidas exceditis, raptores, ſacrilegos, inceſtos, parricidas, atque omnium pænè reorum flagitia ſuperatis. Adhuc parum eſt, nam

ſi res dignâ ut eſt exiſtimatione perpenditur; ipſa Judaica perfidia, omniſque prorſus hæretica pravitas veſtris exceſſibus non æquatur.

Ep. ad Beatric. & Mathildim.

Gregorius VII. Simoniacos vocat, haud dubiè præcurſores Antichriſti. Urbanus II. eoſdem appellat Pſeudochriſtos, Pſeudoprophetas, &c. Similia habent alii paſſim.

Ep. ad Præpoſ. S. Iuventii.

Dial. in vita S. Chryſoſt.

Denique Palladius refert: quod cùm Antoninus Epheſinus de ſeptem capitalibus criminibus accuſatus fuiſſet in Concilio Conſtantinopolitano, cui S. Joannes Chryſoſtomus præſidebat, Patres dixerunt, etſi unumquodque Capitulum per ſe impium eſt, & undique ſacris legibus interdictum, nè tamen videamur in his quæ ſuggeſta ſunt nobis omne ſtudium ponere, ab eo quod eſt horribilius dictu fiat inquiſitionis initium. Si enim illud inventum fuerit verum, nulla de Capitulis reliquis erit controverſia, cùm Capituli illius radix omnem præ ſe iniquitatis ſpeciem ferat; juxta illum qui ait, radix omnium malorum eſt cupiditas; qui enim ſuper innocentem accipit munera, & ſancti Spiritus largitionem pecuniâ ſe vendere putat, quo pacto jam parcet ornamentis, aut lapidibus, aut fundis Eccleſiæ?

Eccl. 10.

Opuſc. 31. cap. 2.

Non igitur ſimoniacè tibi quidquam blandiaris, quod graviorum criminum tibi ipſi non videaris reus: nihil eſt enim ſicut dicitur, inquit Petrus Damiani, avaro ſceleſtius, nihil iniquius quàm amare pecuniam. Quid

ergò

Digitized by Google

ergò proderit non occidere? non mœchari? non rapere? non denique perjurare? immunemque te prorsùs à cunctis criminibus cuſtodire: dummodò ſi à te avaritia non expellitur, nihil te iniquius, nihil ſceleſtius invenitur. Cùm etenim avaritia alicui dominatur, ait Auguſtinus, ſubjectus malis omnibus demonſtratur, quia de avaritiâ omnia mala oriuntur, peccatorum omnium ſpinæ producuntur.

Lib. de lib. arbit.

§. 3.

Simonia eſt ſpiritualis quædam lepra, peſtis, & cancer.

TRia ſunt corporum mala, quæ propter contaminationis contagium hominibus ſunt ſummoperè formidoloſa: lepra, peſtis, & cancer.

Lepra eſt morbus qui ſuperficiem corporis inficiens eam fædè deturpat, atque inſuper halitum corruptum expirans vicinos conſpurcat, eodemque morbo coinquinat. Non eſt ita læthalis, ut mortem brevi afferat, ſed languidum interim corpus efficit, viresque ad laborem invalidas reddit.

Figura eſt Simoniacæ labis reſpectu corporis Eccleſiæ, cujus pulcherrimam ſpeciem adeò ſordidat; ut jam non appareat tota pulchra & decora, ſed prorsùs ſquallida maculisque de-

Digitized by Google

Sub Gregor. XIII ann. 1583. tom. 15. Concil.

formata. Quod Concilium Remenſe his verbis expreſſit: Cùm nihil adeò totum Clerum deformet, quàm Simoniæ labes, non abs re pridem cenſuit Eccleſia omnes Simoniacos & fiduciarios excõmunicatione percellendos, quorum nequitia tam latè jam diffunditur, ut univerſum pænè corpus illius labefactare conetur.

Ierem. Trẽ. 2. & 4.

Hujuſmodi ſanè deformationem Propheta prævidens videtur dixiſſe: Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes viam, ſibilaverunt & moverunt capita ſua ſuper filiam Jeruſalem: Hæccinè eſt Urbs dicentes perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ? quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Filii Sion incliti & amicti auro primo, quomodò reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit & facta eſt quaſi lignum.

Porrò ſicut lepra generatione corporali maximè contrahitur, ita Simoniæ vitium ſpirituali propagatione, quæ fit per ordinationem, transfundi à Patribus cenſebatur. Cùm ordinaretur Epiſcopus, inquit S. Ambroſius, quod dedit aurum fuit, quod perdidit anima fuit: cùm alium ordinaret, quod accepit pecunia fuit, quod dedit lepra fuit.

Lib. de dign. ſacerd. cap. 5

Digitized by Google

Hinc prodiit famoſa obſervatio Simoniacorum à Simoniacis ſimoniacè ordinatorum per veteres facta: in quâ propter varias combinationes diverſa ferri decreta neceſſe fuit. Statuimus decretum, inquit Nicolaus II. Papa, de Simoniacis tripartitâ hæreſi, ideſt de Simoniacis ſimoniacè ordinatoribus vel ordinatis, & de Simoniacis ſimoniacè à non Simoniacis, & de Simoniacis nō ſimoniacè à Simoniacis. Simoniaci ſimoniacè ordinati vel ordinatores ſecūdùm Eccleſiaſticos Canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque ſimoniacè à non Simoniacis ordinati ſimiliter ab officio malè accepto removeantur. Simoniacos autem non ſimoniacè à Simoniacis ordinatos miſericorditer per manus impoſitionem pro temporis neceſſitate in officio concedimus permanere. *Ep. ad omnes Epiſc. apud Gratiā. cap. Statuimus. 1. q. 1.*

Similiter Concilium Placentinum ait: Si qui tamen à Simoniacis non ſimoniacè ordinati ſunt, ſi quidem probare potuerint ſe cùm ordinarentur neſciſſe eos Simoniacos eſſe: Si tunc tamen pro Catholicis habebantur; in Eccleſiâ talium ordinationes miſericorditer ſuſtinemus, ſi tamen eos laudabilis vita commendat. Qui verò ſcienter ſe à Simoniacis conſecrari (imò execrari) permiſerint, eorum conſecrationem omninò irritam eſſe decernimus. *Sub Vrbano II. anno 1095.*

Ita nimirùm diu dubitatum fuerat in Eccleſiâ nùm ordinationes factæ à Simoniacis eſſent validæ, licet ipſæ non eſſent Simoniacæ. De iis qui ſunt gratis à Simoniacis conſecrati, inquit

Præfat. Opuſc. 6. Petrus Damiani. Quanta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit diſceptatio, quamq́; perplexa atque cõfuſa dubietas,& in eis partibus quotidie ventiletur. Et infra addit quod Papa in poſtremâ Synodo omnes Epiſcopos ex divinâ obteſtatione rogaverit, quatenùs Dei miſericordiam in communi depoſcerent, ut quid ſuper ſcrupuloſo hoc negotio decernendum eſſet, nutantibus revelaret.

Ibid. cap. 35 Sanè Leo IX. Papa, ſicut idem teſtatur, omnes Simoniacorum ordinationes Synodalis vigore authoritatis caſſaverat. Sed protinùs à Romanorum multitudine Sacerdotum magnæ ſeditionis tumultus exortus eſt, qui tandem ſopitus fuit, ſtatuendo, quod ſolùm imponeretur pœnitentia iis qui à Simoniaco ordinati fuiſſent. Dehinc Synodus Placentina diſtinguit ut ſupra, inter eos qui ſcienter & qui ignoranter à Simonicacis non ſimoniacè ordinati fuerant.

In Concil. Conſtant. Nunc verò poſtquam Eccleſia, ut multis difficultatibus obviaret, conſtituit, nullos excommunicatos devitari debere, donec publicè denuntiati forent, ſola ordinatio ſimoniacè facta ab executione ordinum ſuſpendit, ſeu etiam Beneficiis acceptis privat. Conſideravit enimverò quod ſententia quâ Giezi ſemen uſque in æternum damnatur Propheticâ authoritate, vitiorum magis, quàm generis ſemen afficiat. Sicut enim, inquit S. Ambroſius, qui

S. Ambr. lib. 4. ad cap. 4 Lucæ. filii promiſſionis ſunt æſtimantur in ſemen bonum, ita etiam qui filii erroris ſunt æſtimantur

in ſemen malum. Nam & Judæi ex patre Diabolo, non utique carnis ſucceſſione, ſed criminis. Undè ſic concludit: ergò omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis ſuis poſſident, & malè quæſitâ mercede, non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum congregarunt æterno ſupplicio & brevi fructu.

Propterea ipſummet Concilium Placentinum ſubdit: Quicumque ſanè cupiditate parentum, cùm adhuc parvuli eſſent, Eccleſias, vel Eccleſiarum beneficia per pecuniam adepti ſunt, poſtquam eos omninò dimiſerint, ſi canonicè in eis vivere voluerint, pro magnâ miſericordiâ ibidem eos eſſe concedimus, neque pro hoc facto à ſacris Ordinibus removemus, ſi aliàs digni inveniantur. Decernit nimirùm per diſpenſationem reſtituendos eſſe in ea Beneficia, quæ ex agnitione invalidæ adeptionis voluntariè dimiſerant.

Cœterùm Deus ipſe ſatis indicavit nobis, Simoniacam labem ſub ſpecie lepræ congruè repræſentari, dum eandem hujuſmodi morbo corporali quandoque punivit. Nota ſatis eſt hiſtoria Giezi. Aliam nobis exhibet Palladius, *In Hiſt. Lauſic. cap. 19.* dum refert, quod cùm S. Macarius Ægyptius unum ex ſuis diſcipulis monuiſſet his verbis, Audi me Frater, tentat te ſpiritus avaritiæ: ſi meam adhortationem audieris, in Dei timore conſummaberis. Quod ſi non audieris, in te veniet finis Giezi, cujus vitio laboras. Non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

audivit ille monitionem, & poſt miſerabiliter leprâ elephantinâ laboravit.

Peſtis maligna quædam febris eſt, quæ interiora hominis diruit uritque, ac certam ferè mortem incontinenti infert: inſuper viciniam contagione ſuâ ſic inficit, ut nonniſi cum manifeſto vitæ periculo quiſquam accedere audeat. Sic & Simoniaca lues, quia gratiam Spiritus ſancti adimit, peccatum grave eſt, & animam enecat. Deindè quicumque avaritiæ ambituſque præſumptione ad ſacra accedere cupiunt eâdem inficiuntur, mortemque ſibi adſciſcunt. Peſtiferam equidem Simoniacam hæreſim, inquit Concilium Forojulienſe, primus Paſtor Eccleſiæ in ipsâ, ut ita dicam, originali cupiditatis radice anathematis ferro funditùs reſecare curavit. Verùm poſteà identidem recruduit, ſuumque virus quaquaversùm latiſſimè diffudit, nec eſt fermè quiſquam qui declinet ab eâ. Sicut Simoniaca peſtis, ait Lucius Papa, ſui magnitudine alios morbos vincit, ita ſine dilatione mox, ut ejus ſigna per aliquam perſonam claruerint, de Eccleſiâ Dei debet eliminari atque repelli. Cùm enim liqueat hanc hæreſim ante omnes radice peſtiferâ ſubrepſiſſe, inquit S. Gregorius, atque in ipsâ origine ſuâ Apoſtolicâ eſſe deteſtatione damnatam, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut hæreticus fiat promovetur.

Sub Adriano & Carolo Magno cap. 1.

Cap. Simoniaca extra. de Simoniâ.

Cancer malum corporis eſt ab exteriori

quidem carnis parte protuberans, ſed deindè per fibras quaſdam interiùs penetrat, ac intima quæque corrodit, depaſcit atque exedit, donec vitam penitùs extinguat. Illi morbo qui permanet in venis, inquit Tullius, & inhæret in viſceribus, nec inveteratus evelli poteſt, nomen eſt avaritia. *Tuſcul. 4.* Ideòque Simoniam cancroſum vulnus appellat Concilium Toletanum octavum, *Cap. 3.* quod dum illa animum cujuſquam ſemel attigerit, ſic ei infligitur, inhæretque, ac concupiſcentiali ardore abſumit, ut quâvis ſucceſſione factâ nullatenùs radicitùs evelli queat. Venenata enim eſt illa hæreſis, inquit Petrus Damiani, *In vitâ S. Romualdi cap. 35.* tam dura & ad convertendum rigida, ut ſemper promittens, ſemper de die in diem producens, atque in futurum procraſtinans, faciliùs poſſit Judæus ad fidem converti, quàm hæreticus latro plenè ad pœnitentiam provocari.

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De pernicioſis effectibus Simoniæ.

§. I.

Simonia Eccleſiam ignorantiæ tenebris obvolvit, ejus ordinem conturbat, gratiam Spiritus ſancti ab eâ auffert, atque illam omnibus mercatorum generibus fœdè proſtituit.

CUM Simonia ſuâptè naturâ immane quoddam ſit vitii genus, nullâ tamen ex causâ magis deteſtabile videtur, quàm quod ſacrum Clericorum ordinem, qui ad formam & exemplum præbendum plebi ſpecialiter à Chriſto electus fuit, fœdiſſimè prophanet ac dehoneſtet. Leges verò omnes, quibus ille laudabiliter inſtitutus eſt ac regitur, impiiſſimè labefactet, proteratque.

Enimverò ſi hujuſmodi exceſſus quo per ambitum atque munera, officia publica acquiruntur in laïcâ converſatione culpatur, inquit Symmachus Papa, quis dubitat, quin Religioſis & Deo ſervientibus incutiat opprobrium.

Ep. ad Cæſarium c. 1.

Nec enim ſatis utiliter avaritia in populo redarguitur, ait Alexander III. Pontifex, ſi ab his qui in Clero conſtituti videntur, modis omnibus non cavetur. *In Concil. Lather.*

Quis utique locus tutus & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? ait Leo Imperator: quem murum integritati, aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames veneranda penetralia prorepit? Quid denique cautum poterit eſſe, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? Profectò nihil: erit enim ſic populus ſicut Sacerdos, hujus ad exemplum totus componitur orbis. *l. ſi quemquam. Cod. de Epiſc. & Cler.* *Iſaiæ 24.*

Ergò ſi lux eſt Eccleſiæ Sacerdos à Domino ordinatus, ita ut imperitiæ tenebras prædicationis ſuæ eloquio rutilante conſcientiarum tenebras illuminet, cur ipſe palpabilibus tenebris tenetur obſtrictus: & non ſolùm quia ipſe dum malè agit dignè perit, inſuper & alios ſecum indignè perdit: ſi enim meruiſti ſalis poſſidere ſaporem, ut inſipientium poſſis arva condire, cur infatuatus tali vitio immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuiſti; ita ut nec alios, nec te ipſum poſſis condire. Oculorum etiam in corpore officium, ideſt in Eccleſia voluntarius appetiſti, ut reliquum per te corpus ducatum lucis haberet: & nunc quâdam lippitudine & caligine vitiorum obtenebratus, nec te, nec ipſum luci idoneum præbes, & aliis adimis lumen. *S. Amb. lib. de dignit. ſacerd. cap. 6.*

Digitized by Google

In expoſit. Reg. S. Benedicti part. 3. cap. 7. tractãs illud Proverb. 25 Cælum ſurſum & terra deorſum.

Sic etiam Simonia Clericos in tantam deordinationem & confuſionem induxit, ut cum S. Bernardo dici poſſit, quod in eis eſt terra ſurſum & cœlum deorſum, pedes ſunt ſupra caput, & facies retrò: interiora effuſa ſunt extra. Deus ibi conculcatur, & terra Deificatur: Diabolus honorificè recipitur, Deus verò contumeliosè repellitur. Terra ſurſum eſt & cœlum deorſum, ubi terrena cœleſtibus pręponuntur. Pedes ſunt ſupra caput, ubi viri ſpirituales deſpiciuntur, homines verò terrena ſapientes ad regimen temporalium utiles in honore habentur: facies eſt retrò, cum in operibus quæ videntur bona potiùs utilitas terrena intenditur, quàm merces æterna. Interiora effuſa ſunt extra, cùm bona interna negliguntur & exteriora diliguntur. Deus verò conculcatur & terra deificatur, ubi deficit charitas & regnat cupiditas. Diabolus honorificè recipitur, & Deus contumeliosè repellitur, ubi raptores & uſurarii cum honore recipiuntur, & magnis expenſis procurantur: boni verò pauperes vel repulſam patiuntur, vel malè procurantur.

In cap. 21. Ioſue.

Turbat igitur Eccleſiam Simonia, inquit Rupertus, turbatione magnâ, eique conſimili quâ Achan auri cupidus turbavit Iſraëlem, accipiẽs de anathemate, cui eſt perſimile aurum mundi, quod in baptiſmo anathematiſamus: dum enim ſub ſpecie pietatis pulchri incedentes atque religioſi avaritiæ ſtudent Clerici, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus, & cuncta militiæ ſpiritualis

Digitized by Google

faciunt venalia, quid aliud quàm anathema furantur & mentiuntur & abſcondunt inter vaſa ſua, immò inter conſcientias ſuas. Hoc futurum erat, & idcircò utiliter præmonſtrandum erat in uno Achan, qualis & quanta ſecundùm nomen ejus, quod interpretatur tumultus vel turbator, cunctis imitatoribus ejus turbatio vel pœna ſit repoſita.

Idipſum prænuntiavit Jeremias dicens: paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partẽ meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis, poſuerunt eam in diſſipationem, luxitque ſuper me, deſolatione deſolata eſt terra, quia nullus eſt qui recogitet corde. *Cap. 12.*

Certè dura à violenti infidelium perſecutione Eccleſia Chriſti ſuſtinuit, aſpera quoque ab hæreticorum nefariâ rebellione paſſa eſt: ſed ex his omnibus vegetior emerſit: ſola Simoniæ labes ejus vires evanidas efficere, ſola Spiritus ſancti ignem, quo illuſtratur, accenditur, roboratur, extinguere videtur.

Inter ea, inquit Concilium Burdigalenſe, quæ jam pridem, ſed noſtris multò temporibus univerſum Eccleſiæ ſtatum conturbant ac convellunt, unum Simoniæ crimen eſt præcipuum: quemadmodum enim olim ob venditum ab Antiocho Jaſoni Sacerdotium, ignis, qui ſeptuaginta annos Babylonicæ captivitatis ſub aqua vixerat, extinctus eſt: ita pluribus in locis ob execrandam Simoniæ pravitatem Eccle- *Sub Gregor. XIII. cap. 23. anno 1583.*

Cap. ſicut, 11. q. 1. ſiam Spiritus S. gratiâ & lumine orbatam videmus. Idem ex S. Auguſtino refert Gratianus.

Unde Leo quidam Papa, negat Simoniacos accipere gratiam Spiritus ſancti: gratia enim, inquit, ſi non gratis datur vel accipitur, gratia non eſt. Simoniaci autem non gratis accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent: ſi autem non habent, nec cuiquam dare poſſunt. Quid ergo dant? profectò quod habent: quid autem habent? Spiritum utique mendacii. Quomodò hoc probamus? quia ſi Spiritus veritatis (teſtante ipsâ veritate de quâ procedit) gratis accipitur, proculdubiò Spiritus mendacii eſſe convincitur, qui non gratis accipitur. *Apud Gratian. ibid. cap. gratia.*

Petr. Bleſen. epiſt. 123. Illis utique qui carnalibus deſideriis inſumuntur, gratia Domini vertitur in fel draconum; cibus ille in cujus fortitudine Elias ambulavit uſque ad montem Dei, ab eis aufertur; manna cæleſte pietatis putreſcit, pluitque Dominus ſuper eos ſicut pulverem carnes, ſpiritus autem illorum ſunt ſicut montes Gelboë, ſuper quos nec ros nec pluvia donorum Dei cadit.

Epiſt. 129. Verbum Amos Prophetæ eſt, inquit Petrus Bleſenſis, vidi Dominum ſtantem ad altare, & dixit, percute cardinem & amoveatur ſuper luminare ejus. Avaritia hæc Simoniaca ipſa eſt vermis & interficiens bruchus peſſimus, ærugo & tinea cordis, quæ bona omnia æruginat & conſumit.

Sic itaque ab inordinatâ & indiſciplinatâ Clericorũ converſatione, qui gradus Eccleſiaſticos

ſimoniacè adepti fuêre, oſtentui datur Eccleſiæ Clerique venerabile nomen, ideòque idem ſubdit hos verſus.

Nobilis Eccleſiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Audacius equidem hæc viderentur dicta, niſi & ipſi Prophetæ, qui hæc utique mala Deo revelante prævidèrant, eodem planè modo locuti fuiſſent. Quomodò facta eſt meretrix Civitas fidelis, inquit Iſaias, plena judicii, juſtitia habitavit in eâ, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ, Principes tui infideles & ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. *cap. 1.*

Et Jeremias: In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. Ego autem plantavi te vineam electam, omne ſemen verum. Quomodò verò converſa es mihi in pravum vinea aliena? ſi laveris te nitro & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus Deus. Quomodò dicis non ſum polluta, poſt Baalim non ambulavi, vide vias tuas in convalle, ſcito quid feceris, curſor levis explicans vias ſuas, Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ atttaxit ventum amoris ſui, nullus avertet eam, omnes qui quærunt eam non deficient, in menſtruis ejus invenient eam. Similia habet Ezechiel cap. 16. & alii. *cap. 2.*

§. 2.

Simonia ſicut probos excludit ab Eccleſiâ, ita cujuſvis generis indignos introducit.

PLura ex Prophetis in hanc rem referri poſſent, quæ illi more ſuo obſcurius quidem, ſed tamen energicè expreſſerunt. Verùm quia Patres eadem mala propriis, ut ita dicam, oculis ſpectarunt, lubet illa prout ab ipſis graphicè ſunt deſcripta proponere. Cùm verò tripliciter committantur, juxta illud S. Bernardi, triplex ergò funiculus qui difficilè rumpitur, hominem miſerum in perniciem trahit, qui impurè intrat, indignè miniſtrat, & ipſo fructu abutitur temporali, triplici etiam modo erunt conſideranda.

In declam.

Primò enim, ſi venditur Sacerdotii dignitas, ſupervacua eſt, ait Taraſius Conſtantinopolitanus, apud iſtos venditores honeſta vitæ inſtitutio, & puritatis virtutiſque cultus: ſupervacuus apud ipſos & Paulus divinus Apoſtolus, docens oportere Epiſcopum eſſe ſine crimine, temperantem, modeſtum, aptum ad docendum, continentem, ſobrium, inſiſtentem fideli ſecundùm doctrinam ſermoni, ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ & contradicentes refellere. Pereunt igitur hæc omnia, ex eo quod Sacerdotium venditur & emitur.

Epiſt. ad Adrian.

Etenim ex quo dona ſupernæ gratiæ pecuniis *Lib. 7. Reg.*
comparabilia judicantur, inquit S. Gregorius, *epiſt. 113.*
ad Dei ſervitium non vita quæritur, ſed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Nec ſicut Apoſtolus præcipit inquiritur, ſi quis eſſet irreprehenſibilis, ſed ſicut dicit S. Athanaſius, jux- *In Apolog.*
ta ſcelera impiiſſimi Hieroboam, ſi quis plus *ad Conſtãt.*
pecuniæ offerat nomine Clerici honoratur.

Quando autem dignus is Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur, ait idem S. Gregorius, re- *Lib. 7. reg.*
ſtat, ut nihil ſibi in Eccleſiaſticis honoribus *epiſt. 113.*
gravitas, nihil defendat induſtria: ſed totum auri prophanus amor obtineat.

Hinc etiam inſontes & pauperes à ſacris of- *Idem ibid.*
ficiis prohibiti, deſpectique reſiliunt: dumque innocentia diſplicet, dubium non eſt, quod præmium illic delicta commendent, quia ubi aurum placet, ibi & vitium.

Ubi hæreſis Simonis, qui ſpirituales theſauros ſubtili pecuniæ pretio emi poſſe impiè exiſtimavit, inquit Concilium Bituricenſe, in *Sub Greg.*
Eccleſiâ invaluit; probis atque eruditis viris adi- *13. can. 7.*
tus ad beneficia præcluſus eſt; utpotè quibus *an. 1584.*
nummi deſunt; aut voluntas tam impiè Eccleſiæ ingreſſum tentandi.

E contra verò illi ipſi qui licet primo adito *Salesburien-*
ac januis habeantur indigni, continuò tamen *ſis polycrat.*
tendunt, & repulſis cæteris ſic ſacris altaribus *l. 7. cap. 19.*
incubant, ut jam non ad formam & exemplum præbendum plebi ordo ille videatur

Digitized by Google

inſtitutus, ſed eſſe occaſio quędam in abũdantiâ & ſecuritate vivendi, nec putetur officium diſtricto judicio Dei obnoxium, ſed ſecura quædam & nuſquam diſcutienda adminiſtratio.

S. Bernard. in declam. Ita parvulo adhuc, aut forſitan necdum nato Eccleſiaſtica jam beneficia provida ſanè parentum ſollicitudo parabat; hunc nos inquiens, illi vel illi trademus Epiſcopo, apud quem habemus gratiam, aut cui fortè ſervivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos noſtra dividatur hæreditas.

Idem ibid. Alius verò circuit ſedulus explorator, blanditur & exequitur, ſimulat & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus & pedibus repens, ſi quo modo tandem aliquandò ſeſe ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona Domini quæ ſola hodiè inveniuntur expoſita. Nimirùm inquit S. Bernardus peregrè profectus eſt, ſed in plenilunio fortè, ut ſua diſtrictè repetat rediturus.

Denique irruunt paſſim laïci in ſacra Eccleſiæ penetralia, priuſquam animum à ſæcularibus cogitationibus rebuſque expediverint, aut etiam divinis præceptis ac regulis imbuerint: quod ſacri Canones perpetuò exhorruerunt, inter quos canon Concilii Romani ſingulariter ita decernit: Ut nullus laïcus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repentè promoveatur, niſi poſt mutatum habitum ſæcularẽ, diuturnâ converſatione inter Clericos fuerit cõprobatus. *Sub Nicolao 2. can. 13.*

Nec

Nec ſanè immeritò : undè enim ſcire videbitur, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta, qui nec pulſare, nec quærere, nec petere conſuevit; ac (ſi ſpecialiter de eo qui curam habet animarum agatur.) qui donec alienarum curam ſuſciperet animarum, nunquam ſuæ geſſiſſe curam, ſed in vano viſus eſt accepiſſe? atque utinam vel tunc curaret ſuam, ut meam quoque poſtea curaturum ſperare liceret, & de ſuo priùs oculo trabem ejiceret, ut de meo videret ejicere feſtucam. *S. Bernard. in declam.*

Verùm enimverò quicumque ſtudet pretii datione ſacrum Ordinem mercari, ait S. Gregorius, dum non officium ſed nomen attendit, Sacerdos non eſſe, ſed dici tantummodò inaniter concupiſcit. Quid ſcilicet? quid per hoc aliud agitur; niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus; nulla ſit de vitâ diſcuſſio: ſed ille ſolummodò dignus qui pretium dare ſuffecerit æſtimetur? Ex quâ re ſi recti libraminis examinatione penſetur, dum improbè ad inanem gloriam locum feſtinat utilitatis arripere; eo ipſo magis quod honorem quærit indignus eſt. *Lib. 7. Epiſt. 110.*

Propterea Apoſtolus non minùs Neophytum, quàm cujuſvis gravioris criminis reum ordinari ſeverè prohibet: ſicut autem Neophytus vocabatur, inquit S. Gregorius, qui adhuc noviter erat plantatus in fide; ita nunc inter Neophytos deputatur, qui adhuc novus eſt in ſanctâ converſatione. Hujuſ- *1. Tim. 3.*

modi utique neophytorum promotionem non minùs hæreſim eſſe, quàm Simoniacam, teſtantur Sacri Canones; ideòque utramque ſimul & unà modis omnibus comprimendam eſſe decreverunt. Quiſquis ergò contra Simoniacam & neophytorum hæreſim pro officii ſui loco vehementer non exarſerit, inquit S. Gregorius, cum eo ſe non dubitet habiturum portionem, qui priùs commiſit hoc piaculare flagitium.

Apud Gratian. 1. q. 1. c. quiſquis.

§. 3.

Simoniaci non niſi infideliter Eccleſiam adminiſtrant, & turpis lucri causâ.

S. Greg. l. 7. reg. ep. 110.

SIcut qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus. Sic qui ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid aliud agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exteriùs, interiùs ad profunda deſcendat.

Leo papa epiſt. 85. ad Mauros Epiſc. apud Gratian. 1. q. 1. c. principatus. Ibid. cap. ſeq

Probroſa enimverò eſt ipſa ambitus macula, ut quamvis quiſpiam moribus atque actibus non offendat, ipſius tamen initii ſui ſit pernicioſus exemplo. Verùm etiam ſicut difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata ſunt principio, ac ubi Chriſtus non eſt

fundamentum, nullum boni operis ſit ſuperædificium: non niſi exitialis quædam adminiſtratio expectanda eſt ab eo, qui ſacrum Eccleſiæ miniſterium pretio mercatus eſt. Quæ enim opera, inquit S. Gregorius, eſſe valeant Sacerdotis, qui honorem tanti Sacramenti convincitur obtinere per præmium? Sanè qui non fideliter introivit, neque per Chriſtum, quidni infideliter agat, & contra Chriſtum: manifeſtam ſine dubio faciet arborem fructus, radicem palmes, opus intentionem faciet, ad quod venit, ut mactet utique & diſperdat. *Lib. 7. Epiſt. 114.* *S. Bernard. in declam.*

Magnum prorſus & mirabile eſt miniſtrum eſſe Chriſti, & myſteriorum Dei eſſe diſpenſatorem, ait S. Bernardus, longè ſuper vos eſt ordo pacificorum: niſi fortè omiſſis gradibus præoſtenſis ſaltare magis, quàm aſcendere libet. Utinam tamen quiſquis ſic intrat, ſi fieri poſſet, tam fideliter miniſtraret, quàm fiducialiter ſe ingeſſit. At difficilè fortaſſis & impoſſibile eſt, ut ex amarâ radice ambitionis, ſuavis fructus prodeat charitatis. *Serm. de converſ. ad Clericos cap. 30.*

Primò enim ſicut monet Apoſtolus, omnis Pontifex (aliusvè Clericus) ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit his qui ignorant & errant. Quomodò autem populum orationis clipeo tueatur, qui jaculis ſe hoſtilibus feriendum expoſuit? aut qualem de ſe *Ad Hebr. 5.* *S. Greg. l. 7. reg. ep. 114.*

Digitized by Google

fructum producturus eſt, cui gravi peſte radix infecta eſt?

Idem ibid.

Utique dum vitia remunerantur honore in locum ultoris (aut etiam interceſſoris) is qui fortaſſe fuerat ulciſcendus adducitur. Atque hinc Sacerdotes non proficere, ſed perire, potiùs judicantur: Vulnerato namque Paſtore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Undè S. Gregorius concludit: Major ergò metuenda eſt locis illis fortè calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam provocant, quàm per ſemetipſos populis placare debuerant.

1. ep. cap. 5.

Sic etiam ſecundò S. Petrus Apoſtolus hortatur Seniores (ſeu Clericos) ut paſcant gregem Dei verbo & exemplo, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè, neque ut dominantes, ſed formâ facti gregis ex animo. Verùm ubi Eccleſiaſticæ dignitatis officia in turpem quæſtum tranſire, in his non ſalus animarum, ſed luxus quæritur divitiarum.

S. Bernard. in pſal. Qui habitat. v. 6

Serm. 10. in Cantic. Cantic.

Quanti hodie ſecus affectos ſe oſtendunt, inquit S. Bernardus, de his dico qui animas regere ſuſceperunt. Quod enim ſine miſerabili gemitu dicendum non eſt, Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clavos, lanceam, crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquiſitionẽ turpis quæſtus, & pretium univerſitatis ſuis marſupiis includere

eſtinant. Hoc ſolo ſanè à Judâ Iſcariote differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero compenſavit, iſti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His inſatiabili deſiderio inhiant, pro his ne amittant timent, & cùm amittunt dolent: narum in amore quieſcunt, quantùm dumtaxat liberum eis eſt à ſervandi & augmentandi curâ, animarum nec reputatur caſus nec ſalus. Non ſunt profectò matres qui cum ſint de crucifixi patrimonio nimium incraſſati, impinguati, dilatati, non compatiuntur ſuper contritione Joſeph. Hæc ille.

Enimverò qui per munera curam aliorum ſuſceperunt, vel ſpiſſis ignorantiæ tenebris tenentur, ut populum verbo vitæ paſcere nequeant. De quo Propheta conqueritur dicens: *Thren. 4.* Adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti, parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Vel prophanâ converſatione ac reprehenſibili vitâ ſordeſcunt, ut infirmos potiùs necarent, quàm foverent exemplo. Væ profectò illis, inquit Petrus Damiani, qui reprehenſibiliter vivunt, & locum irreprehenſibilem vivendi adhuc reprehenſibilius concupiſcunt. *Ep. ad Card.*

Aut etiam quia favore humano ad præfecturam devenerunt, eodem ipſo favoris gratiam implent. Unde & periit gravitas Sacerdotum, inquit S. Baſilius, canonum exacta obſervatio peſſumivit, multa peccandi libertas patet: *S. Baſilius epiſt. 69.*

nec præfecti liberè loquuntur: nam qui per homines poteſtatem acquiſiverunt, ſervi ſunt eorum quorum favore adjuti ſunt. Ita nimirùm qui malis artibus quæſtuoſisvè modis Prælaturas adepti ſunt, ſubditorum perverſos actus reprehendere non audent, ne fortè ipſis corripientibus objiciatur, quod olim Cæſar in Syllam dixit. Is enim præturam adeptus comminatus eſt Cæſari ſe ſuâ in illum poteſtate uſurum. Jure inquit Cæſar irridens, tuam poteſtatem appellas, quam tuo ære mercatus es. Notans Syllam quod eum magiſtratum largitionibus ſibi paraſſet.

Eraſmus l. 1. apoph.

Omnes iſti, inquit S. Bernardus, non ſunt amici ſponſæ, licet eam addexterare videantur; quærunt enim quæ ſua ſunt, diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt Mammonæ. Paſtoris quidem locum tenent, ait S. Gregorius, ſed lucra animarum non quærunt, terrenis commodis inhiant, honore prælationis gaudent, temporalibus lucris paſcuntur, impensâ ſibi ab hominibus reverentiâ lætantur.

Serm. 77. in Cantic.

Hom. 14. in Evang.

O utinam illi non modò dicam paſtores, ſed mercenarios ſaltem vellent ſe exhibere, non lupos. Utinam ipſi non lęderent alios malo exemplo, prophanâ converſatione. Utinam non exponerent gregem ſcandaloſâ vitâ, inerti pietatis ſtudio, & gratis averterent à paſcuis juſtitiæ & veritatis.

S. Bern. ſer. de converſ. ad clericos cap. 31.

O utinam tam vigiles reperirentur ad

:uram, quàm alacres cucurrerunt ad cathedrã, inquit S. Bernardus, vigilarent utique ſollicitè ſervantes inventam, ac ſibi creditam ſponſam Chriſti. Immò verò evigilarent pro ſemetipſis, nec ſinerẽt de ſe dici: Amici mei & proximi mei adversùm me appropinquaverunt & ſteterunt. *Serm. 77. in Cantic.*

Juſta omninò quærimonia, nec ad ullam juſtius quàm ad noſtram referenda ætatem: parùm eſt noſtris vigilibus, quod non ſervant nos, niſi & perdant. Alto quippè demerſi oblivionis ſomno ad nullum dominicæ communionis tonitruum expergiſcuntur, ut vel ſuum periculum expaveſcant. Inde eſt, ut non parcant ſuis, qui non parcunt ſibi perimentes pariter & pereuntes. *Idem ibid.*

Sicut itaque validioribus morbis capite vitiato, reliquum neceſſe eſt corpus inundatione ſuperioris morbi læthaliter irrigari; ita & ii qui caput videntur Eccleſiæ, inquit S. Ambroſius, morbo peſtifero fraternũ vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage inſauciatum poſſit evadere, quod negligẽtium Sacerdotum vitioſitatis mortale infecerit virus: ita ut videas in Eccleſiâ paſſim quos non merita, ſed pecuniæ ad Sacerdotii ordinem provexerunt, nugacem populum & indoctum, qui talem ſibi aſciverunt Sacerdotem. Unde S. Gregorius ait de Chriſto qui narraverat mala ventura, quod protinùs templum ingreſſus eſt, ut de illo vendentes & ementes ejiceret, oſtendens quod ruina populi maximè ex culpâ Sacerdotum fuit. *Lib. de dignit. Sacerd. cap. 5.*

Digitized by Google

§. 4.

Simoniaci laborantium ſtipendia ſine labore colligere volunt.

2. Theſſal. 3. DEclarat inſuper Apoſtolus, ſæpius ſe denuntiaſſe, quod ſi quis non vult operari, nõ manducet: audivimus enim inter vos, inquit, quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes. His autem qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu-Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent. Subditque, quod ſi quis non obedierit verbo noſtro per epiſtolã, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.

Ex quo planè apparet Apoſtolum indicare excommunicatione percellendum eſſe eum, qui bonis Eccleſiaſticis frui vellet, cùm nihil in Eccleſiâ laboraverit mercede dignum. At verò illi qui præbendas pecuniâ compararunt, jus ſibi ad ea bona habere ſe præſumunt, quaſi perſoluto pretio: & ideò abſque labore congruo quaſi de rebus propriis enutriri geſtiunt: *Super pſal. 118.* Venit enim avaritia, ut cum S. Ambroſio loquar, & dicit, argentum quod habes ſervitutis tuæ pretium eſt, poſſeſſio (ſeu Præbenda) quam tenes, juris tui emptio eſt.

Hæc fuit, eſtque communis quærimonia timoratorum omnium, qui cùm plures Clericos

ernant de bonis Eccleſiæ lautè vivere, paucos amen reddere Deo obſequium rationabile ident, deplorant atque indignantur. Multa nordinata fieri video in domo Dei, quæ me orquent, inquit Ivo Carnotenſis, maximè uod apud nos qui altari non ſerviunt de altari ivunt: à quo ſacrilegio cùm eos abſterrere ve- im monendo, increpando, excommunicando, ltaria à me redimere volunt ſub nomine per- onæ, ſicut à Prædeceſſoribus meis ex pravâ onſuetudine redemerunt. *Ep. 12. ad Vrbanũ pap.*

Hunc etiam abuſum Salesburienſis ſic ex- preſſit: Alii quidem ſine Evangelio de Evange- io vivunt, & benè ſi vivunt tantùm, ut non uxurientur. Hos vix mercenarios dixerim, qui non laborant ut manducent, ſed ſine labore non manducare, quod neceſſitatis eſt, ſed otiari & luxuriari deſiderant. *Lib. 8. polycrat. c. 17.*

Reprehenſibilis equidem eſt mercenariorum ntentio, qui gradus Eccleſiaſticos eo quærunt nut tenent animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ abeant neceſſaria, evangeliſant ut manducent, & perverſo nimis ordine cœleſtibus terrena mercantur. Quantò ſceleratior eſt eorum in- gluvies, qui patrimonium Crucifixi, pretia peccatorum, ſtipendia eorum qui tabernaculo deſerviunt, ſine omni labore devorare atten- tant. Serve nequam, quare non dediſti pecu- niam meam ad menſam, inquit Dominus: Ni- mirum, ait Petrus Damiani, depoſuiſſes ad altare quod ferre non poteras; dum enim tu *S. Bernard. in declam.* *Ep. ad Alex. II. & Hildebr.*

ignavus negotiator denariorum tenes pecuniam, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupaſti.

In declam. Hâc utique de causâ illos ſummoperè exagitandos eſſe judicavit S. Bernardus, ut terrore judicii divini à nefariâ ſocordiâ ſuâ abſterreantur. In labore inquit (Scriptura) hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideò tenuit eos ſuperbia. Habent enim ſingula quæque genera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis, ait S. Doctor, ſed advertere eſt prudentiam aliquorũ, & mirari quemadmodùm novo inter hæc artificio diſcernentes, & ab invicem ſequeſtrantes ea: totum quod delectat eligunt & amplectuntur, quod moleſtum eſt fugiunt & declinant. Cum militibus nempè ſuperbiæ faſtus, amplam familiam & nobiles apparatus frequentant, gloriam veſtium à mulierculis mutuantur: cautè omninò inſomnes in caſtris noctes, muliebrem quoque verecundiam & diſciplinam, aut ſi quid aliud ſexus ille laboris habere cernitur, declinantes. Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores, & qui inter hæc torpent otio, accedente fructuum tempore innovari ſibi horrea jubent, & promptuaria eorum plena, vivunt tritico, bibunt uvæ ſanguinem meraciſſimum: parùm eſt, impinguantur & dilatantur adipe frumenti. Negotiatores circumeunt mare & aridã, in labore corporis & periculo vitæ perituras ſibi divitias cõgregantes. Dura ſunt hæc: caveant prudentes

oſtri, dulces interea capiant ſomnos, ne diam in ſtratis laſciviant ſuis. Quid fabros aut æmentarios, cæteroſque ejuſmodi operarios ıeceſſe eſt numerare? victum ſibi multo labore quærunt: illi madent delitiis, copiis affluunt otioſi: an meritò tales Poëta ſubſannet?

Nè cùm fortè ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus.

Magis autem magnus ille Propheta & pluſquam Propheta terribiliter increpat dicens: Genimina viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à venturâ irâ? Ubi enim ſunt pœnitentiæ fructus? cùm cœperint reſurgere homines unuſquiſque in ordine ſuo, ubi putas generatio iſta locabitur? Si ad milites fortè diverterint, exſufflabunt eos, quod minimè ſecum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ, ſic negotiatores, & ſinguli quique ordines hominum à ſuis eos ſimiliter arcebunt finibus; utpote qui in hominum labore nõ fuerunt. Quid igitur reſtat, niſi ut quos omnis ordo repellit pariter & accuſat, eum ſortiantur locum ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. An fortè ad electionem Cleri audeant aſpirare? magnus enim verè eorum locus in regno Dei, & bonum ſibi, ſed qui benè miniſtraverint, gradum acquirunt. Cæterùm ſuus & ipſis non modicus labor eſſe videtur, & dicebat qui plus omnibus laboravit; qui non laborat non manducet. Et Petro dictum eſt, Simon

Joannis amas me? paſce oves meas: idemque tertiò repetitum, tertiò dictum paſce, nec mulge ſeu tonde vel ſemel additum. Speret ergo diſcipuli locum, gradum miniſtri, qui dominicum paſcere gregem ſatagit, quam tondere. Paſcere verò tripliciter exemplo, converſationis, verbo prædicationis fructu orationis.

Hæc fuſius deſcripſi, ut intelligant quali ſe ſcelere irretiant, quantiſve reſtitutionum obligationibus innectantur, qui vix-dùm in Eccleſiis ſuis reſident, ut per exiguas comparitiones unius tantummodò horæ (ne dicam momentaneâ præſentiâ) debito ſervitio ſatisfeciſſe ſibi videantur; cùm alioquin totâ die in otio, in negotiis ſæcularibus, in ludis & commeſſationibus delitientur. De quo & Dominus per Prophetam conqueritur dicens, Quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam.

Aggai 1.

§. 5.

Simoniaci nullam vitæ Clericalis formam exhibent, ſed prorſus irregulariter vivendo, grave plebi chriſtianæ ſcandalum afferunt.

QUos Deus ſacris miniſteriis deſtinavit, hos voluit à communi plebis populique vivendi ratione eſſe diſcretos, exteriori quâ-

dam ſpecie diſſimiles apparere, & exemplari atque inſigni modeſtiâ commendabiles, non in moribus ſolùm; ſed etiam in cultu corporis ac veſtium formâ, ut ipſi exemplum darent plebi ad imitandum ipſos, inquit Apoſtolus. *2.Theſſal.3.*

Hujuſmodi autem vitæ inſtitutionem cum nullam Simoniaci profiteantur, non niſi ſiniſtram de Clero exiſtimationem diſpergunt; ita videlicet (ut cum Innocentio III. loquar) nec in modo tonſuræ, nec in veſtimentorum formâ, nec in qualitate negotiorum de clerico quidquam oſtendunt, de quibus ſigillatim per diſtinctos paragraphos tractandum videtur. *Cap.contingit,extra.de ſent.excom.*

Et quidem primò de moribus, Apoſtolus ſatis in ſuis, quas ad Timotheum & Titum ſcripſit, epiſtolis expreſſit, qualem oporteat eſſe Clerici converſationem. Oportet enim eſſe ſine crimine, inquit, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum qui ſecundùm doctrinā eſt fidelem ſermonem &c. ſubditq;: In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, ut is qui ex adverſo eſt vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. *Tit. 1.* *Cap. 2.*

Hæc eſt forma vitæ clericalis, quam Apoſtolus breviter, ſed etiam luculenter propoſuit; ut exinde quivis intelligere poſſet, hono-

Digitized by Google

In Exhort. ad caſtitatē. rem illum, qui ſicut ait Tertullianus, per ordinis conſeſſum ſanctificatus eſt à Deo, omni genere virtutum inſtructum atque ornatum eſſe debere. Inſuper ſicut eſt mancipatus divino officio, ita oportere deditum eſſe contemplationi & orationi; ac ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare. Sobriam à turbis gravitatem, inquit S. Ambroſius, ſeveram vitam, ſingulare pondus, dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis.

S. Hieron. ep. de duobus gen. hominũ.

Epiſt. 6.

S. Ambroſ. lib. 2. de virginibus. Ab hujuſmodi autem normâ plebs meritò ſumit exempla vivendi, ubi Clerici tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeat, oſtendunt. Ideoque cum Clericum videmus, inquit S. Gregorius, admonendus eſt, quatenus ſic vivat, ut exemplum vitę ſęcularibus prębeat; ne ſi quid in illo reprehenditur ex ejus officio, ipſa religionis noſtræ æſtimatio gravetur.

Hom. in Evang.

Ep. ad Card. Non utique quorumlibet hominum tam noxia eſt, quàm pravitas ſacerdotum, inquit Petrus Damiani, dum proponitur ad exemplum, nam qui dux itineris conſtituitur, ſi ipſe in præcipitium labitur, neceſſe eſt ut quiſquis ejus veſtigia ſequitur, in ejuſdem ruinæ profunda mergatur.

Ad cap. 1. Malachiæ. At verò, qui dato munere ſacerdotium præſumunt, inquit S. Hieronymus, nomen Domini deſpiciunt, & quantùm ad ſe panem pollutum offerunt ad altare indignè accedentes, orationis officium faſtidiunt, nullam rectæ converſationis, aut vitæ exemplaris curam gerunt.

Digitized by Google

Quin immò ſcurrilitati ſæpè dant operam, & la- *Pet. Chryſol. ep. quadam.*
ia Chriſti Evangelio conſecrata immunda &
amnabili verborum procacitate polluunt.

Optimum apud illos vivendi genus eſt mi-
ius vitioſum videri: ita ſiquidem Eccleſiaſtici
;enii ubique ab ipſis pœnè diſciplina negligi- *Petr. Dam. ep. ad Card.*
ur, canonicæ ſancionis ſtatuta calcantur, &
oli terrenæ inhianter explendæ digna Deo
ura ſervitur.

Hi ſunt, qui, ſicut ait Hugo de Sancto Vi- *De 12. abuſionibus.*
tore, ea quæ offeruntur in menſa Chriſti of-
erunt in menſa diaboli. Ipſa eſt alea ſabeti: in
lla Deum invocant, in iſtâ perjurant: legem
Dei nec ſciunt nec diſcunt: vacantes otio, com-
neſſationibus & ebrietatibus ſtudent, terrenis
nhiant, terrena ſapiunt, aſſidui in plateis, in
Eccleſiâ rari, tardi ad inveſtigandum culpam
eccatoris, parati ad quærendum veſtigia le-
oris, velociores ad congregandos canes,
uàm ad vocandum pauperes: libentius porri-
unt panem cani quàm pauperi: plures ſerviunt
is ad menſam quàm ad miſſam: famulos aut
amulas ſecum habere volunt, ſed Clericos ha-
ere non poſſunt, quia nolunt. Hi ſunt quorum
halamus ornatior eſt Eccleſiâ ſuâ, menſa para-
ior altari, cyphus calice pretioſior, equus cha-
ior Miſſali, cappa carior caſula, camiſia deli-
atior albâ. Ecce quomodò obſcuratum eſt au-
um, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt
apides ſanctuarii in capite omnium platearum.
ta ille.

Ep. Can. cap. 1. Ad illos quoque ſignanter reſpexiſſe videtur S. Judas Apoſtolus dum ait: Hi ſunt qui in viâ Cain abierunt, & in errore Baalam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Chore perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore; ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aquâ, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fructus feri maris; deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia. Hi ſunt murmuratores querulosi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonas quæſtus causâ; quibus procella tenebrarum conſervata eſt in æternum.

Concil. Tolet 11. in præfat. Sacroſanctam porrò Eccleſiã Dei vulnerant iſti cuſtodes ejus, qui cùm deberẽt ob dignitatis excellentiam cæteros per ſuæ virtutis imitationem provocare ad charitatis & unitatis obſervantiam, tanquam ſal infatuatum potiùs ſcandali, quàm ædificationis dant ruinam. Hinc

Ezechiel. 28 Dominus per Prophetam dicit, facti ſunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis.

Ita nimirùm ex inordinatâ & indiſciplinatâ multitudine hujuſmodi Simoniacorum datur contemptui Redemptoris noſtri venerabile

In quodam ſerm. Sacramentum, inquit S. Ambroſius, nam qui debuerant eſſe Vicarii Apoſtolorum & filii Petri, facti ſunt ſocii Judæ, & præambuli Anti-Chriſti.

In ep. quadã Ob hoc apud viros bonos indigna ipſa ſit dignitas, inquit S. Hieronymus, quàm multi indigni

indigni poſſident: fruſtra enim ſe jactant habere dignitatem, cujus non exhibent operationem. Ob hoc etiam rident infideles, inquit S. Baſilius, imbecilles fluctuant, fides in ambiguo eſt, quod adulterantes verbum in malitiâ veritatem videantur imitari. Quod videlicet irregularis vitæ turpitudinem ſub umbrâ ornatiſsimi ſtatus contegant. Ita planè dum Chriſtus dixit, auferte iſta hinc; ſignificavit futuros in Eccleſiâ, qui ſua negotia potiùs agerent; vel receptacula ibi haberent ad occultanda ſcelera ſua, quàm ut charitatem Chriſti ſequerentur; & peccatorum confeſſione acceptâ veniâ corrigerentur. Hi videlicet domum Dei ſpeluncam latronum faciunt; quia ſicut ait S. Gregorius, dum perverſi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ ſuæ gladiis occidunt; ubi vivificare proximos orationis ſuæ interceſſione debuerunt.

Epiſt. 69.

S. Gregorius

§. 6.

Simoniaci tonſuram Clericalem, per quam ſacris initiati fuêre, geſtare detrectant.

NUnc quod attinet ad corporis habitum, qui maximè in capitis decore ſpectatur: totus quippè homo eſt in capite, inquit ſanctus Ambroſius, dum caput videris hominem

agnoſcis, unicuique viro incumbit capillitium barbamque (quæ ſola in capitis ſpecie mutari poſſunt) ſecundùm ſexus ſui decorem convenienter diſponere.

1. Cor. 11. Ipſa autem natura docet, inquit Apoſtolus, quod vir ſi comam nutriat ignominia ſit illi. Quod quidem dupliciter intelligi poteſt: vel ſecundùm quod ex vanitate crines calamiſtri veſtigio rotantur, aut aliter curioſius innectuntur, quia muliercularum vanitas eſt, iſtiuſmodi venuſtatem colere, hominiſque ſapientiam naturalem maximè dedecet. Vel ſecundùm conſuetudinem immemorialem nationum, quæ apud illas quaſi inſtitutio naturalis habetur; uti apud Romanos, Orientales, & maximè apud Aſiaticos uſitatum erat comam non nutrire; cùm apud Gallos illam demittere ſemper fuerit, ſitque in more. Immò apud Sinas eſt doctrinæ ac ſapientiæ quædam profeſſio.

S. Hieron. epiſt. 22.

Sic etiam apud Orientales ſignum virilitatis eſt barba, ideòq; videtur illis probroſum eam radere. Ita S. Hieronymus ediſſerens illam Dei comminationem, in cunctis capitibus calvitiũ & omnis barba radetur, ait, ſi quid virilitatis habere videbitur in barbâ, raſum à viro Eccleſiaſtico effæminatum & debile comprobatur. Itemque ad hæc verba, in illâ die radet Dominus novacula, &c. Ergò, inquit, in iſtâ novaculâ acutiſſimâ, hoc eſt in rege Syrorum omnes capillos decoremque barbæ, quod virilitatis eſt indicium, radet Dominus de Judçâ,

Lib. 6. in Iſaiam.

Ibid. lib. 3.

ut nihil in eâ forte, nihil pulchrum reſideat: ſed effœminatis hominibus, immò ignominioſis mulieribus comparetur.

Ideò Græci raſuram barbæ pro meretricio cultu habent, maluntque omnia perpeti, quàm illam radi: ac præcipuè Sacerdotes apud illos gravitatis causâ eam demiſſam habere ſemper ſtuduerunt; ut Clemens Alexandrinus Presbyter Origenis Præceptor, & S. Epiphanius dicant, ab Apoſtolis ſancitum nè barba raderetur. Ideòque Michael Cerularius Latinos quaſi Canonum Apoſtolicorum prævaricatores accuſavit, quod barbam raderent.

Lib. 3 Pædagog. c. 11
3. Panarii de Maſſilianis.

Econtra verò, quia apud Occidentales barbæ abſciſſio magis fuit in uſu, Gregorius VII. teſtatur eſſe antiquum morem Eccleſiæ Occidentalis radere barbam; ac propterea ad id Epiſcopum Calaritanum coëgit. Cùm nihilominus ſecundùm viciſſitudines temporum variarint etiam conſuetudines locorum, ita ut Concilium Carthaginenſe primum prohibeat nutrire barbam; ſicut & Alexander III. Synodus autem Carthaginenſis quarta illam radere vetet: remotâ ſingularitate nimiâ atque inſolentiâ, Clerici nunc barbam radere, aut demittere arbitrarium habent.

Vide Baron. an. 1073.

Referuntur extra. cap. Clericus 1. & cap. Clericus 2. de vitâ & honeſt. Cleric. Can. 44.

Aliud eſt de tonſurâ ac raſurâ capitis, quæ, in quantùm omninò decalvatur caput, deformationem quandam habet, eoque majorem olim habuit, quod ſacrifici idolorum ac ſervi ita capite raſi eſſent. Undè & poſtea Monachi

in Occidente, quatenùs ſervi eſſe propter Chriſtum non dedignabantur, caput ſuum radebant: ſicut & illi qui pœnitentiam publicam ſubibāt. Undè Canon Concilii Toletani quarti ita habet: Quicumque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus prævaricantes laïci effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo ad pœnitentiam, ex quâ receſſerunt, revocentur. Ita videlicet illi ad vitam monaſticam adigebantur in pœnam. Plura de hâc re proſtant exempla in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, quæ non ſunt hujus loci.

Can. 54.

Tonſura autem Clericalis à Nazaræis ortum habet, inquit S. Iſidorus, qui etiam teſtatur eam ab incunabulis Eccleſiæ fuiſſe conſtitutā. Et Rabanus Maurus ait, Nazaræorum exempli uſum ab Apoſtolis introductum fuiſſe, ut hi qui in divinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, ideſt Sancti Dei, crine præciſo innoventur. Illa ſic ordinata fuit, ut nec caput decalvaret, nec crines diffluerent. Cujus rationem reddit S. Hieronymus ad illud Ezechielis, Caput ſuum non radent, &c. Perſpicuè demonſtrat, inquit, nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis, nos non eſſe debere. Nec rurſus comam demittere, quod propriè luxurioſorum eſt & barbarorum: ſed ut honeſtus habitus Sacerdotum facie demonſtretur, nec calvitium novaculâ eſſe faciendum, nec ita ad preſſum tondendum caput, ut raſorū ſimiles eſſe videamur,

Vide Baron. ad an. 58.
Lib. 2. de Eccleſ. offic. cap. 4
Lib. 1. inſtit. Cler. cap. 3.
Lib. 3. in c. 44. Ezech

Digitized by Google

ſed in tantùm capillos demittendos, ut operta ſit cutis.

Per hujuſmodi tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam Clericalis ordo confertur, ait Innocentius III. Clericus ſpeciali conſecratione miniſteriorum Eccleſiæ capax efficitur, ac per eam à laïcis, qui ſunt alterum Chriſtianorum genus, diſcernitur. Clerici namque ſunt reges, inquit S. Hieronymus, ideſt ſe & alios virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent: Et hoc deſignat corona in capite. Hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur. Raſio verò capitis eſt temporalium omnium depoſitio. *Refertur cap Cùm cõtingat, extra. de ætat. & qualit. & ordin. perfic.* *Apud Grat. 12. q. 1. cap. duo ſunt.*

Eandem quoque explicationem aſſignat S. Thomas, dum ait: Corona circularis ſignificat dignitatem regiam, quam adipiſcitur qui divinis miniſteriis applicatur, & perfectionem virtutis quam debent habere: competit etiam eis ſubtractio capillorum ſuperior per raſuram, nè mens à contemplatione temporalibus occupationibus obvolvatur. Ita ille. *In 4. diſt. 24.*

Cùm verò ex naturali infirmitate homines ſenſim à contemplatione divinorum abſtrahantur, atque etiam nimiâ temporalium ſollicitudine implicentur, neceſſe eſt tonſuram continuò renovari, ut ſæpius eam radendo recordarentur, ſe ſacris rebus mancipatos, inquit Cardinalis Baronius ex S. Iſidoro, atque ita identidem ad ſua munera revocarentur. *Ad an. 58.*

Digitized by Google

Conſtans eſt omnium Theologorum & Canoniſtarum doctrina, Clericos in majoribus Ordinibus conſtitutos, ſeu etiam Beneficiis Eccleſiaſticis dotatos, teneri ſub peccato mortali geſtare iſtiuſmodi tonſuram, idque ex perpetuâ Eccleſiæ traditione, atque Canonibus Conciliorum, decretiſque Pontificum ſæpiſſimè reiteratis. De quibus vide Gratianum, & Gregorium IX. in decretalibus, Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat. Conſtitutionem Sixti V. editam anno 1589. quæ incipit, Cùm ſacroſanctam, aliam Pii IV. &c. Ideòque ab iis qui ad ſacros ordines promoventur promiſcuè exigitur promiſſio, quod eam ſint geſtaturi, prout ex ipſius ſtatus conſecratione tenentur. Ita ut etiam qui eandem geſtare noluerint, pro Clericis ab Eccleſiâ non agnoſcantur, privilegiis priventur, atque inſuper variis cenſuris ſubjiciantur.

Diſt. 23. ca. probibete, & ſeqq. Tit. de vit. et honeſt Cleric.

Vide cap. in audientiâ, & cap. contingit, de ſent. excom. Item cap. præterea, de apoſtol.

Quæri autem poteſt, quo uſque inferior corona crinium propendere Canones patiantur? Referuntur in Concilio Bracarenſi ſecundo capitula Synodorum Græcarum, in quibus ſic habetur: Non oportet Clericos comam nutrire & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundùm Aaron talarem veſtẽ induere, ut ſint in habitu ornato. Eadem quoque verba repetiit Concilium Romanum ſub Martino Papa, putem tamen eſſe Martini Bracarenſis.

Apud Grat. diſt. 23. cap penult.

Attamen alii Canones non ita ſtrictim

determinant, ſed juxta varias Regionum conſuetudines debitam & congruam tonſuram (prout Innocentius III. & Pius IV. loquuntur) decernunt: ut videlicet crines non diffluant in dorſum, ſed omninò ad diſtinctionem laïcorũ tonſurati appareant: atque etiam juxta S. Hieronymi ſententiam, nè raſis ſimiles videantur, & ut cutis operta ſit.

Cap. penult. extra. de vit & honeſtat. cler. & in 7. decretal. lib. 3. tit. de vit. & honeſtat. Cler.

Verùm enimverò (cùm ſicut ait Sacra Scriptura, abominatio ſit peccatori Dei cultus) Simoniaci hujuſmodi tonſurationem negligunt: nec ſicut ait Innocentius II. in tonſurâ intuentium verentur offendere aſpectum, quorum forma & exemplum eſſe debebant: aut ſicut loquitur S. Auguſtinus, Ipſi ſunt qui hoc uno vitio capillorum contra præceptum Apoſtolicum demiſſorum offendunt & perturbant Eccleſiam. Unde cum Amalario dici poteſt, Inter omnes quas vel in Eccleſiâ vel in univerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam nobis amplectendamque jure dixerim, quàm in capite ſuo geſtabat ille cui ſe confitenti Dominus ait: Tu es Petrus. Nullam magis abominandam deteſtandamque meritò cunctis fidelibus crediderim eâ quàm habebat ille cui gratiam Spiritus ſancti comparare volenti idem Petrus ait, Pecunia tua tecum ſit in perditione: quoniam donum Dei exiſtimaſti per pecuniam poſſideri, non eſt tibi pars neque ſors in ſermone hoc.

Eccl. 1.

In Conc. Later. cap. 4. apud Grat. 21. q. 4. cap. præcipimus.

De oper. monac. cap. 33.

Lib. 4. de Eccleſ. offic. cap. 39.

Cùm verò hujuſmodi coronam Regni

ſpiritualis capitibus noſtris ex ſpeciali Dei fa-vore impoſitam nõ ſolùm faſtidiosè abjicimus, ſed etiam benè monentes irridemus. Profectò verendum nobis eſt, nè Deus Clericatum noſtrum dedignans, illum auferat à nobis, eumq; det genti facienti fructum ejus: ſicut cùm plures olim Clerici in Africâ tonſuram ferre nollent, immò & irriderent eos qui geſtabant, propterea, teſte Salviano, horribili Vandalorum perſecutione puniti fuêre.

Matth. 21.

Apud Barõ. ad ann. 58.

§. 7.

Pudet Simoniacos veſtem Clericalem geſtare.

DE ornatu veſtium nihil ſingulariter decernit Apoſtolus, ſicut de moribus ac tonſurâ determinare aliquid videtur: ſed ex ipſo Clericali ſtatu ſatis intelligi datur, Clericorum veſtes ſingularem modeſtiam & gravitatis decorem præ ſe ferre debere: juxta illud Concilii Carthaginenſis quarti, Clericus profeſſionem ſuam & habitu & inceſſu probet, & ideò nec veſtibus nec calceamentis decorem (ſcilicet vanum) quærat. Sicut autem quilibet hominum ſtatus veſtitum habet ſibi convenientem, ut dignoſci, & ab aliis diſcerni facilè poſſit, qualis eſt habitus militum, civium, magiſtratuum, virorum, fœminarum, religioſorum, &c. Ita

Canon. 45.

Digitized by Google

imprimis neceſſe eſt Clericos qui laïcis ad exemplum proponuntur, ſub apparenti à ſæcularibus veſtium diſcrimine repræſentari, ut omnes in Clerum tanquam in vitæ ſuæ exemplar oculos conjicere poſſent. Ideòque ait Pius IV. non ſolùm interius vitæ munditiâ ac virtutum ſplendore cæteris præfulgere debent, verùm etiam exterius in eorum habitu & veſtibus gravitatem & morum honeſtatem quam ipſos decet præſeferant. *relat. in 7. decretal. lib. 3. tit. 1.*

Sic & Sixtus V. ait, Clericos ſingulari aliquo ſigno à reliquo populo diſtingui debere, nè cui eorum jure dici poſſit, quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Ita videlicet Sacerdotes legis veteris non ſolùm tonſuram, ſed & veſtes babebant à laïcalibus diſtinctas, ut Sacerdotes veteris & novi teſtamenti, inquit Rabanus Maurus, in tonſurâ & habitu diſcernerentur. *Bull. Cùm ſacroſanctâ.* *Lib. 1. inſt. Cler. cap. 3.*

Hinc perpetuâ Canonum traditione accepimus, Clericis prohibitum eſſe ſæcularibus indumentis uti, niſi ut condecet tunicâ ſacerdotali, inquit Zacharias Papa, eiſque omninò probroſum eſſe hujuſmodi habitum exuere, quia ſicut mulier orans in Eccleſiâ non velato capite, ait idem Pontifex, deturpat caput ſuum, juxta Apoſtoli vocem; ita Sacerdos ſine operimento deturpat ſacerdotium ſuum. *In Synod. Rom. apud Gratian. 21 q. 4. cap. Epiſcopi.*

Propterea ſicut nemo dubitat monachis genus quoddam eſſe apoſtaſiæ, ſi veſtimentum ordinis ſui abjiciant, ita nihil ambigendum

Digitized by Google

videtur, clericos apoſtatare, qui habitum ſtatui ſuo convenientem non deſerunt: prout & ipſe Alexander III. Papa declarat, dum ait: Clerici qui relicto ordine clericali & habitu ſuo in apoſtaſiâ tanquam laïci converſantur, ſi in criminibus deprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam non præcipimus liberari.

Cap. propterea, extra. de apoſtat.

Porrò nunc inquirendum videtur, quis habitus clericalis propriè dicendus ſit? Si de primis Eccleſiæ temporibus inſtituatur quæſtio, non facilè quiſquam eum determinaverit, ac præſertim ſub infidelium perſecutionibus varius fuiſſe videtur ſecundùm neceſſitudines contingentes, in quibus opus erat quod ſtatus ſui conditionem quis ſæpius diſſimularet, prout etiamnum fieri videmus in terris hæreticis, aliiſve infidelibus ſubjectis.

Certè veſtis talaris non videtur ſemper fuiſſe in uſu, illam enim primus invenit Antoninus Imperator, qui inde Caracalla dictus eſt. Quinimmò cum in Galliam Narbonenſem aliqui novam veſtium formam pro clericis inducerent, ut palliati & præcincti renibus ſecundùm Evangelium eſſent, Cæleſtinus Papa reprehendit novum habitum induci à peregrinis clericis, quod præſtaret moribus magis, quàm indumentis, ſacerdotalem præ ſe ferre dignitatem.

Vide Baron. ad an. 213.

Ibid. ad an. 428.

Veruntamen cùm iſtiuſmodi veſtis apta prorſus eſſet ad modeſtiam gravitatemque ſtatui clericali convenientem demonſtrandam,

Digitized by Google

ſicut propter novitatem diſplicuerat, ita propter inſignis decoris ſpecimen pluribus in locis acceptata fuit: quod vetuſti quidam canones & hiſtoriæ ſatis atteſtantur. Ita de S. Albano Beda ſcribit, quod veſtem talarem etiam geſtaret dum fugeret, quia eâ carere nunquam volebat. *Lib. 1. de rebus Anglor. cap. 7.*

Dehinc ubicumque ferè diſciplina Eccleſiaſtica accuratius ſervari aut reſtitui cœpit, ea veſtis à Synodis provincialibus, clericis promiſcuè commendata ac præcepta fuit. Hujuſmodi autem canonum particularium frequentiam recentiores aliqui Theologi indiſtinctè conſiderantes, omnes clericos peccati gravis audent condemnare, qui veſtem talarem non geſtaverint; quod non ſolùm à veritate alienum eſt; ſed etiam diſſolutorum morum emendationi non parùm obſtare videtur: dum videlicet duriora ſtatuunt præcepta per inſcitiam, quia non compatiuntur naturę non æſtimant poſſibilitatem. *S. Ambr. in pſal. 118. ſerm. 5. v. 6*

Lex utique debet eſſe poſſibilis, inquit S. Thomas ex S. Iſidoro, & ſecundùm naturam & ſecundùm patriæ conſuetudinem. Poteſtas autem, ſive facultas operandi ex interiori habitu ſeu diſpoſitione procedit. Non enim idem eſt poſſibile ei, qui non habet habitum virtutis & virtuoſo. Et propter hoc multa ſunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quę non eſſent toleranda in hominibus virtuoſis. Hæc S. Doctor. *1. 2. q. 96. art. 2. corp.*

Digitized by Google

In reſp. ad 2. Qui etiam ſubdit, quod lex humana intendit homines inducere ad virtutem, non ſubitò ſed gradatim: & ideò non ſtatim multitudini imperfectorum imponit ea, quæ ſunt jam virtuoſorum, ut ſcilicet ab omnibus malis abſtineant; alioquin imperfecti hujuſmodi præcepta ferre non valentes, in deteriora mala prorumperent, ſicut dicitur Proverb. 30. qui nimis emungit elicit ſanguinem, & Matth. 9. quod ſi vinum novum (ideſt præcepta perfectæ vitæ) mittatur in utres veteres, (ideſt in homines imperfectos) utres rumpuntur, & vinum effunditur, ideſt præcepta contemnuntur, & homines ex contemptu ad pejora mala prorumpunt.

Undè apparet ſic explicandos eſſe Canones veſtem talarem Clericis præſcribentes, ut non inducant rigoroſam pro omnibus ubique degentibus obligationem, cujus tranſgreſſio ſit peccatum mortale. Pleraque ſiquidem ſunt loca, in quibus Clerici minùs perfectè vivunt; & ideò nec veſtem talarem geſtare ſolent. Illos autem per iſtiuſmodi Canones ligari credibile non eſt, qui veſtem talarem præſcribunt, non tanquam ex decentiâ ſtatui illi neceſſariâ, (cùm aliàs ſuum habuerit decorem abſque illâ veſte) ſed tantùm tanquam ex majori congruitate. Nec opinor ita confundendas eſſe leges, quæ accidentalem venuſtatem afferunt ſtatui Clericali, cum iis quæ ad ſubſtantialem decorem latæ ſunt: aut etiã Clericos qui non uſquequaq;

perfectè, cum iis qui prorsùs diſſolutè vivunt parificandos; ut & illi incompetenter peccatis illaqueëntur: Et hi ex comparatione cum ipſis quodammodò ſe excuſatos putent, vel ex deſperatione perfectiora ſectandi ab emendatiori vitâ habituque abſterreantur. Quâpropter triplex proponi poteſt reſponſio ad Canones veſtem talarem pręſcribentes.

Prima ſumitur ex Panormitano, qui de veſte Clericali diſſerens, docet, non omnem conſtitutionem legis Eccleſiaſticæ ligare tranſgredientem ad mortale; ſicut non omnis tranſgreſſio legis civilis inducit decapitationem civilem: ſed attendendum eſſe utrùm verba ſint præceptiva nec ne, quia ſi non ſint, tantùm indicat imperfectis quò tendere debeant. Aut etiam ſi ſint præceptiva: utrùm materia ſit ponderoſa, vel potiùs cujuſdam honeſtatis. Iſta inducit in tranſgreſſionem mortale, dum veſtes ſunt laïcales, quia talis habitus continet manifeſtam decolorationem Cleri, & confuſionem cum laïcis: talis enim quis præſumitur, inquit Abbas, qualis eſt habitus quem portat. Hæc non item, ſi videlicet veſtis Clericalis ſeu diſtinctivus Clerici à laïco habere poſſit abſque eo quod ſit talaris, quia ſic talaris inducitur tantùm ad majorem decentiam. Hujuſmodi autem decentiæ majoris cùm minùs perfecti Clerici ſint incapaces, lex illa quæ aliquid perfectius præſcribit, non ita ſtrictè eos ligat, ut graviter peccare cēſendi ſint ſi non ſervaverint.

Ad cap. Clerici 2. extra. de vit. & honeſt. Cler.

Vide Clem. exivi.

In cap. in audientiâ de ſent. excom.

Digitized by Google

Lib. de præcept. & diſpẽſat. c. 19. Ita S. Bernardus negat crimen Abrahæ futurum fuiſſe, ſi non immolaſſet filium, quia inquit conſtat multa non fieri ſine gloriâ, & poſſe non fieri ſine culpâ. Et poſt, eâ propter in talibus generalibus hæc regula teneatur, ut in difficilioribus quidem agendis obeditio gratior, quàm gravior prævaricatio judicetur.

Altera reſponſio eſt, quod conſuetudo accedente conniventiâ ſuperiorum derogaverit pluribus in locis iſtiuſmodi Canonum ſancionibus: cùm enim obligatio geſtandi veſtem talarem non fundetur in naturâ rei, nec illa veſtis ſit abſolutè neceſſaria ad diſtinctionem Clerici à laïco, non niſi lege Eccleſiaſticâ & humanâ præcepta eſſe intelligitur. Talis autem lex ſicut vim ſuam habet ab authoritate & voluntate præcipientis, ita per tolerantiam ejuſdem abrogatur; prout paſſim Theologi tradunt poſt S. Thomam. Unde Ivo Carnotenſis ait: ſi hæc æternâ lege ſancita eſſent, non eſſet in manu præſidentium, ut ea in quibuſdam diſtrictè judicarent, in quibuſdam miſericorditer relaxarent: nunc verò quia ea illicita maximè facit præſidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro ſuâ æſtimatione remiſſio.

Supra cit. Ep. 65. ad Arch. Lugd.

Porrò quod intercedat hujuſmodi voluntas præſumpta ſuperiorum relaxandi Canones præſcribentes veſtem talarem, patet ex eo quod in iis locis, ubi remiſſior videtur diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſervatio, nemo per coërcitionem pœnarum compellatur ad illorum execu-

tionem. Cùm autem omnis inſtitutio Eccleſiaſticarum legum ad ſalutem referenda ſit animarum, ſubdit idem Ivo, iſtarum inſtitutionum transſgreſſiones, aut diſtrictius eſſent corrigendæ, ut ſaluti prodeſſent; aut interim ſilentio premendæ; nè ſpiritualia commoda impedirent. *Ibidem*

Tertia denique reſponſio eſt, quod Canones præcipientes veſtes talares Clericis ſint decreta Synodorum particularium, quæ eas ſolummodò regiones afficiunt, pro quibus prolata fuiſſe dignoſcuntur. Et ſanè ſi quiſpiam conſtitutiones Summorum Pontificum aut Conciliorum generalium accuratius obſervaverit, omninò reperiet illas nunquam præcipere veſtem talarem: ſed potius prohibere Clericis veſtes laïcales, quatenùs videlicet ſanciebant leges univerſales pro totâ Eccleſiâ, in quâ multi minùs perfecti Clerici, perfectioribus admiſti ſunt, ac loca diverſa non eandem exactæ diſciplinæ obſervantiam habent.

De hoc videri poſſunt decreta Zachariæ in Synodo Romanâ, Leonis IV. in Synodo Romanâ, Innocentii II. in Concilio Latheranenſi, Item Innocentii III. in Concilio Latheranenſi, Clementis V. in Concilio Viennenſi. Referemus etiam infra cõſtitutionem Eugenii IV. in Concilio Remenſi ex S. Bernardo. Vide conſtit. Sixti V. quæ incipit cùm ſacroſanctam. In quâ quidem Pontifex præcipiendo habitũ Clericalem explicat, dicens, veſtes ſcilicet talares, ea tamen explicatio intelligi debet juxta modi-

Apud Gratiã. 21. q. 4. extra. de vit. & honeſt. Cler. c. Clerici 2. Clem. 2. de vit. & honeſt. Cler.

ficationem Pii IV. infra citandam.

Lubet autem ſpecialiter annotare declarationes Martini V. cum Concilio Conſtantienſi, & Concilii Tridentini, (ut in ipſis etiam Simoniaci deformitatem veſtium ſuarum obſervare valeant.) Ita prius loquitur. Inter cœteros Prælatorum & Clericorum exceſſus hoc maximè inolevit, quid ſpretâ in veſtibus formâ honeſtatis, plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt laïcis conformari, quodque mente gerunt habitu confitentur. Unde præter cœtera, quæ circa veſtes, tonſuram, & habitus Clericorum, tam in formis, quàm in coloribus, atque comam ſeu capillos vitamque & honeſtatem Clericorum, ita ſtatuunt. Et quæ nimium collapſa tam in ſæcularibus, quàm in regularibus ſacro approbante Concilio innovamus & præcipimus diligentius obſervari. Poſteà corrigit particulares veſtium abuſus in quibus Clerici conformabantur cum ſæcularibus, nullâ veſtis talaris mentione factâ.

Seſſ. 43.

Concilium Tridentinum ſic etiam habet: Quia verò etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Tanta autē hodie aliquorum inolevit temeritas, religioniſq; cōtemptus, ut propriam dignitatem parvipendentes veſtes deferant publicè laïcales, pedes in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus;

Seſſ. 14. cap. 6. de reform.

tum

Digitized by Google

tum præcipit omnibus qui ſunt in ſacris, aut beneficia obtinent, ut honeſtum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem deferant, ac in delinquentes pœnas decernit.

Ex his itaque colligitur veſtem Clericalem propriè definiri, quæ propter ſingularem modeſtiam Clericum deſignat diſtinguitque à laïco. Ad quod dupliciter conſiderari debet: in colore, & in formâ. Color veſtium Cleri olim fuit violaceus & caſtaneus: ſed uterque obſolevit, ex quo monachi in Clerum adſciti fuêre: horum enim proprius color erat niger, qui ſignificat mortificationem carnis, & triſtem vitam in meditandâ Paſſione Chriſti, in mortis memoriâ, &c. quam monachi habere debent; hujuſmodi colorem Clerus ab ipſis ex victu communi accepit, atque ex inveterato uſu ſic nunc ad Clericos ſpectat, ut per eum ſolum dignoſcantur, per alios nequaquam.

Vide Baron. ad an. 393.

Caſſan. in cathal. glor. mundi part. 93.

Forma veſtium Cleri ad eum à laïcis diſtinguendum dupliciter ſpectari debet: in longitudine, qualem habet veſtis talaris: in quâ tamen geſtandâ peccatur, vel in ejus aperturâ ad brachia & crura, ut induſia bullata, aut veſtes coloratæ, (ſicut quidam Itali habent) aut ſimilia vanitatis teſtimonia in ſe appareant, quæ clericalem modeſtiam omninò dedecent: Vel in ipſius materiâ, quæ ex eo quod ſit pretioſior, cujuſque ſtatui non eſt conveniens, ſed vanitatis causâ aſſumitur; ideò veſtes ex ſerico prohibentur à Canonibus. Excipiuntur tamen Præ-

Digitized by Google

Apol. ad Guill. abbat.

lati, de quibus ait S. Bernardus: Scimus namq; quod illi ſapientibus & inſipientibus debitores cùm ſint, carnalis populi devotionem (ſeu reverentiam) quia ſpiritualibus non poſſunt, corporalibus excitant ornamentis.

Aliud autem eſt genus veſtium clericalium, quod quia in longitudine non differt à laïcalibus, neceſſe eſt in figurâ aliquâ eſſe diſtinctum, ut communi voce appellari poſſit Soutanella. Ad hujuſmodi ſaltem veſtem geſtandam Clerici proculdubiò tenentur, cum abjectâ talari nulla ſit alia, per quam à laïcis diſcerni valeant, ideoque nulla conſuetudo ipſos excuſat, quia corruptela potiùs eſſet vocanda; ut potè quæ legi naturali ex ipſius clericalis ſtatus conſtitutione omninò adverſetur. Quapropter Pius IV. eam à Clericis qui in Urbe Romanâ permanent ac moram trahunt, ſub pœnâ excommunicationis aliiſque cenſuris geſtari jubet, dum ait, veſtes exteriores ante infra genua ſe extendentes; ita ut à veſtibus & ſagis laïcorum omninò differant, geſtent, &c. A ſagis inquit laïcorum differant, ut hinc intelligamus debere diverſas apparere ſpecie-tenùs ab iis veſtibus, quas voce Gallicâ appellamus *Iuſte-au-corps*, quod ſedulò animadvertere debent, qui veſtem talarem geſtare detrectant, nè prætextu tolerabilis veſtitus clericalis, habitu verè laïcali (licet modeſtior appareat) induantur.

In 7. decretal. l. 3. tit. de vit. & honeſt. cler.

Hæc autem fuſius præter inſtituti noſtri rationẽ proſecuti ſumus, quod recentiores qui-

Digitized by Google

dam condemnando indiſtinctè omnes Clericorum veſtes præter talarem, multos ab honeſtiori ſeu moderatiori veſtitu, qui omninò tolerabilis eſt, abſtereant. Quique idcircò veſtes apertè laïcales deferre per contemptum non deſiſtunt, dicentes, Nec damnabit me cùm indicabitur illi (ſcilicet Doctori.) Ita planè, inquit Rabanus, multi Sacerdotum culpam zelo Dei ſe perſequi profitentur: ſed dum indiſcretè hoc agitur, ſacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites; quaſi ad emendandum ruunt, ipſi quoque multò magis deteriùs cadunt. Nimia juſtitia incurrit peccatum, inquit Auguſtinus, temperata juſtitia facit perfectos: ſalſitudinem correctionis amor Chriſti temperet & dilectionem proximi ſal juſtitiæ condiat. Et quia univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas cogimur, ita noſtram temperare ſententiam, ut trutinato pondere delictorum, quæ conſtat non unius eſſe menſuræ, quædam definiamus utcumque toleranda, quædam verò penitùs amputanda.

Pſal. 36. *Lib. 1. de eccl. preſſ.* *Lib. de verâ relig.* *S. Leo ep. 87*

Diligenter igitur attendendum eſt; ut cum S. Auguſtino loquar, quid locis & temporibus & perſonis conveniat, nè temerè vitia repræhendamus. Ea quippè quæ nullo detrimento indulgenda creduntur, vel rerum temporumque cogit intuitus, nonnunquam ſinenda ſunt, quæque ſi cœterorum conſtet integritas, ſola nocere non valeant.

l. 3. de doct. Chriſt. c. 10 *Gelaſius Papa ep. ad Epiſc. per Lucaniâ c. 11.*

Verumtamen illa magnoperè ſunt præca- *Ibid.*

Digitized by Google

non alibi ordinandos quàm ubi nullus ordo; ſed ſempiternus horror inhabitat.

§. 8.

Cùm Simoniaci indigni ſint pretioſo continentiæ dono, contigit ut in impudicam Nicolaïtarum hæreſim prolaberentur.

S. Bernard. in declam.

NIhil nunc attinet, ut occulta dedecoris revelemus, nec parietem fodimus ut abominatio major appareat, quæ ex inordinatâ Simoniacorum vitâ ferè conſequitur. Nullum de fornicatione faciemus verbum: ſed nonnullos ex illis plenos eſſe luxuriâ facilè quivis ſuſpicabitur. Quando enim talibus detur pretioſum illud continentiæ munus, inquit S. Bernardus, niſi fortè ad judicium & condemnationem, nè quando paveant, & reſipiſcant, & convertantur à ſtudiis ſuis, ſed obdormiſcant in peccatis, & deteriùs pereant ex ipsâ ſuâ irreverentiâ & ſecuritate. Sanè ut exercitii ſpiritualis & curæ cordis indicium evidens eſt contemptus exteriorum, ſic eorundem ſollicitudo certum nihilominùs ſignum mentis incultæ: ſcriptum quippè eſt, in deſideriis eſt omnis otioſus, & item de ſtercoribus boüm lapidabitur piger. Hæc ille.

Ibid. verſ. finem.

Quibus annotare licet, quod Simoniaca

hæreſis & Nicolaïtarum cognatæ videātur, ſub ipſis Apoſtolorum temporibus ſimul natæ, & mediis Eccleſiæ ſæculis ſimul viguerunt. Quādo enim contigit Clericos paſſim Simoniacos eſſe tunc etiam incontinentes fuiſſe leguntur. Immò ſimul & unà hæreſes ſuas ex authoritate defenderunt. Nicolaïtæ dicuntur Clerici, inquit Petrus Damiani, qui contra caſtitatis Eccleſiacæ regulam fæminis admiſcentur. Docetque hæreſim dici ad eum modum quo Simonia hæreſis appellari ſolet. Tunc Nicolaïtæ jure dicuntur, inquit, cùm hanc læthiferam peſtem velut ex authoritate defendunt: vitium quippè in hæreſim vertitur, cùm perverſi dogmatis aſſertione firmatur.

Vide Petrū Dam. paſſim.

Ep. ad Clericos Mediolanen.

Hæc utique ambo peccata cenſurâ Apoſtolicâ non coërcita, inquit Cardinalis Baronius, in malam conſuetudinem propagāta tunc (circa ſæculum undecimum) adeò increbuerant, ut cùm ad ea Gregorius VII. Pontifex corrigenda poſt alios inſurrexiſſet, delinquentes omnes ſenſerit adverſarios. Narratque de Lamberto quodam, quod cùm cōtra concubinarios Clericos canones promulgaſſet, infremuerit factio Clericorum, hominem planè hęreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans. Dicebantq; agere contra id, qui poteſt capere capiat, quia cogeret ritu Angelorum vivere, ſi matrimonia impediret, fore ut pejus ſordeſcerent.

Ad an. 1074.

Is opinor fuit Lambertus Presbyter noſtrâs, quem Beguum, ſivè Balbum ab oris vitio

Barth. Fiſen hiſt. Leod. ad an. 1179.

nuncupabant. Ipſe enim, cùm in Clerum bina illa monſtra libido & ſimoniaca impietas graſſarentur, prodiit in publicum, ambonem conſcendit, & tantâ orationis vehementiâ illas peſtes inſectatus eſt, ut plurimi damnatâ vitæ impietate ſanctiora reſpectarent conſilia. Alii plures ridebant oris balbutiem, hominis imperitiam: ſcommatis tamen non movebatur, nec puerorum petulantiâ, qui eorum inſtinctu per plateas gradientem ſordibus impetebant. Omnia hæc Chriſti causâ Lambertus in lucro reponebat. Damnabant fiduciam temerariam, quod ſine poteſtate concionaretur: ſed inquit Ægidius Hiſtoricus ejus temporis, Spiritus ubi vult ſpirat.

Incontinentes itaque Clerici nomen Lamberti deferunt ad Epiſcopum, qui ad propria flagitia reſpiciens illum ægrè ferebat, ſed multitudinis metus prohibebat nè carceri mancipar ent. Fortè ſexto idus Junias anni 1180. in templo S. Lamberti declamabat contra illa vitia, ideò furentes in eum impetum faciunt. Confugit ad principem Aram extenſis manibus, ſicut S. Lambertus Martyrium expectabat: tùm quaſi Deo plenus in pedes ſe erigit, exclamatque: Deus immortalis quanta huic templo clades impendet, dictis meis attendite quotquot adeſtis, ante triennium evertetur in ſacrilegarum nundinationum pœnam, & quæ in honorem Sanctorum Ara cõſecrata eſt, hara porcorum fiet. Dixerat, & in eum irruunt,

Digitized by Google

miſerèque percutiunt, & vinculis injectis ad carcerem rapiunt: fremebat populus & innocentem clamabat, ideò ſeditionem Epiſcopus veritus Rivoniam abduci curat.

Vaticinium autem poſt probatum fuit anno 1185. ſcintilla in turrim inciderat, neglectâ templum aduſtum, plumbum ex tectis fuſum abſterruit multitudinem, & totos tredecim dies exuſſit, uſque ad ædes S. Clementis, conditorium S. Lamberti quod in medio templi pro ope implorandâ poſuerant fuit intactum, licet metallum, quo fuerat ornatum, flammæ violentiâ defluxerit, ſubjectâ è ligno ara, & marmor quo ſuſtentabatur, flamma in cineres redegerit; lignum tamen conditorium non flamma, non fumus violavit, in loco ſanè altaris porci ſtabulari viſi fuêre.

Hoc portentum adeò Simoniacos ac concubinarios perculit, ut Lambertum è carcere ſolverint, & Romam miſerint ad rationem concionandi muneris aſſumpti reddendam. Hominem benignè audiit Lucius Pontifex, & factâ poteſtate proſequendi incœptum Leodium remiſit.

Profectò non evaſiſſet cruentas manus illorum hominum Lambertus, niſi portento divinitùs facto abſterriti fuiſſent: ipſi enim crudelitatem infidelium, & cæterorum hæreticorum immanitate ſui furoris plerumque exæquant. Id docebit nos alia hiſtoria, quæ ad annũ 1066. contigit.

Ex geſt. Arialdi per Syrũ presbit. in ejus vitâ. Vide Baron. ad an. 1066

Arialdus Vir pius ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ miſeratus, quæ à Simoniacis vexabatur, Romam ſe contulit, anno 1056. ſub Victore II. Papa, ibique per decennium contra illos egit, præcipuè contra Guidonem Archiepiſcopum, qui Arialdum tandem per proditionem captum, & in ſolitudines ductum necari curavit.

Sic autem res contigit, duo Clerici à nepte Archiëpiſcopi miſſi cùm quæſiviſſent illum ab iis qui abduxerant, & illi reſpondiſſent mortuum eſſe. Tum ipſi, nobis à nepte Archiëpiſcopi juſſi ſumus illum videre ſivè vivum, ſivè mortuum: & aſpicientes illum eminùs ſedentem ſuper ſaxum vinctum, in eum irruunt. Evaginatis igitur gladiis, ipſius unus unam, alter alteram arripuit auriculam, dicentes, dic furcifer, ſi Dominus noſter verè eſt Archiëpiſcopus? qui reſpondit, nec eſt, nec fuit unquam, (etenim per Simoniam ingreſſus, per Simoniam ſacra diſtrahere non ceſſabat) tunc immites clerici utramque aurem amputant. At ille oculis in cœlum elevatis ait, gratias tibi ago Chriſte, quia hodie inter tuos martyres me dignatus es connumerare. Interrogatus iterùm ſi Guido verè eſſet Archiëpiſcopus? animi conſtantiam retinens ait, non eſt. Quâpropter naſus ipſius protinùs cum labio ſuperiore eſt abſciſſus: deindè ambo oculi ſunt effoſſi: poſtea dexteram detruncant manum dicentes, hæc eſt quæ faciebat epiſtolas Romã directas. Dehinc radicitùs membrũ amputant genitale, dicentes,

Digitized by Google

prædicator caſtitatis hactenùs fuiſti, & hinc tu caſtus eris. Poſteà verò ſub gutture linguam extrahunt, dicentes, modò ſileat quæ clericorum familiam conturbavit, & diſperſit. Et ſic ſancta illa anima carne ſoluta eſt.

§. 9.

Simoniaci bona Eccleſiæ, quæ pauperum patrimonia dicuntur, in ſuperfluos ſumptus inutiliter expendunt.

TErtius & ultimus funiculus, qui juxta S. Bernardum miſeros Simoniacos in perniciem trahit, eſt abuſus rerum temporalium: nec enim illi audiunt Apoſtolum dicentem habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: ſed volunt de bonis Domini divites fieri, & ita incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. *1. Tim. 6.*

Enimverò quando poterit neceſſariis eſſe contentus, qui eo animo introivit, ut ſtipendia Cleri in uſus voluptatis, curioſitatis & vanitatis congreget, ſervet, expendat. Nullâ omninò divitiarum affluentiâ implebitur ſatiabiturque, eò quod ſuperfluè omnia abſumat, ac vanè diſsipet. Similis quippè eſt lebeti diuturno uſu perforato, qui licet in ſe omnem maris aquam recipiat, nunquam implebitur. Aut *S. Bernard. in declam.* *Greg. Nyſſen in or. funeb.*

Pſal. 103. potius, ſicut ait Propheta Regius, ipſe eſt catulus quidam Leonis rugiens, ut rapiat & quærat eſcam ſibi. Summè videlicet ſuâptè naturâ vorax eſt iſtud animal, ut licet plurimùm edat, ſemper tamen famelicus, ipsâque fame oppreſſus mugitus edit.

Lib. 3. de conſid. cap. 5. O miſerandam, inquit S. Bernardus, ſponſam talibus creditam paranymphis, qui aſſignata cultui ejus proprio retinere quæſtui non verentur. Non amici profectò ſponſi, ſed æmuli ſunt, non ſunt paranymphi ſponſæ, ſed prædatores.

Exod. 36. Amicus erat ſponſi Moyſes, qui cùm inſtaret operi in ſanctuario ædificando, quotidie mane vota populus offerebat: undè artifices venire compulſi dixerunt illi, plus offert populus quàm neceſſarium eſt. Juſſit ergò Moyſes præconis voce cantari, nè vir nec mulier quicquam offerat ultrà in opere Sanctuarii: Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eò quod oblata ſufficerent & ſuperabundarent.

Tract. 62. in Ioannem. Paranymphus erat ipſe Chriſtus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, qui, ſicut ait S. Auguſtinus, habebat loculos à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Ex quo primùm Eccleſiaſticæ pecuniæ forma inſtituta eſt. Poſt diſceſſum verò illius *Act. 4.* ſucceſſerunt Apoſtoli, ante quorum pedes fideles pretia poſſeſſionum ſuarum quas vendiderant ponebant, dividebaturque ſingulis, prout cuique opus erat. Hujuſmodi autem

Digitized by Google

pecunias Apoſtoli adipiſcebantur tantummodò ad fovendos egentes, inquit Melchiades Papa. *Apud Grat. 12.q.1.cap futuram.*

Poſtea videntes ſummi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, ait Urbanus Papa, plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant, Eccleſiis quibus præſidebant Epiſcopi traderent: eò quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipſorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere. *Ibid. cap. videntes.*

Porrò in immenſum excreverunt opes Eccleſiarum, cùm Romani Imperatores, qui pænè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti converſi fuêre: unuſquiſque enim pius & fidelis certatim prædia poſſeſſioneſque dabat Eccleſiæ. Inter quas celebratur liberalitas Conſtantini Imperatoris: Liciniæ quoque divitis & potentis matronæ, quæ bona ſua Eccleſiæ Romanæ teſtamento reliquit: Item Regum Galliæ Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, cæterorumque Principum & Magnatum, quorum multi non ſolùm poſſeſſiones & prædia quæ poſſederant, ſed etiam ſemetipſos Domino conſecrarunt, ædificantes Baſilicas in ſuis fundis in honorem ſanctorum Martyrum per civitates & monaſteria innumera, in quibus *Cap. futur. citat.* *De quâ vide can. Conſtātinus diſt in. 96.* *Hiſt. Tripar. lib. 1. cap. 9.*

venda, quæ recipi niſi manifeſtâ decoloratione non poſſunt. Tale quid eſt habitus Simoniacorum, qui cum huic mundo conformari ac omninò ſæculariter vivere ſtudeant, veſtes deferunt publicè laïcales, eâque ratione in conſpectu populi decus vileſcere faciunt clericale. Prout & Synodus quædam Londinenſis teſtatur, dum ait: In habitu Clericorum, qui non clericalis videtur, ſed potiùs militaris, (idem dic de quovis alio ſæculari) grave ſcandalum laïcis generatur.

Vide Math. Pariſ. in Henr. 3. pag. mihi 436.

Hic eſt habitus quem Patrum, Conciliorumque decreta perpetuò in Clericis reprobarunt, de quo S. Bernardum diſſerentem ſpecialiter audire juvabit. Ipſe in libris ad Eugenium Papam refert conſtitutionem quandam, quam ipſe Eugenius in Concilio Rhemenſi ſanxerat, his verbis: Præcipimus ut tam Epiſcopi quàm Clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſtâ varietate colorum, aut ſciſſurâ veſtium, neque in tonſurâ, intuentium (quorum forma & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum: ſed potiùs ita in ſuis actibus errata cõdemnent, ut amorem innocentiæ converſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit Clericorum. Subdit ſecus facientes deponendos, aliiſque cenſuris eſſe percellendos.

Lib. 3. de cõſid. cap. 5.

Sanctus autem Bernardus mox conquæritur, Clericos contra hanc legem paſſim prævaricari, nec tamen cenſurarum pœnis caſtigari. Quod ad primum capitulum pertinet, inquit,

luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus: pœna dictata, ſed minimè ſecuta eſt. Jam quartus annus eſt, ex quo datum mandatum audivimus, & neminem adhuc Clericorum privatum beneficio, neminem Epiſcoporum ſuſpenſum ab officio luximus. At luctu amariſſimo dignum quod ſecutum eſt, quid hoc? impunitas incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix. Et nunc leva oculos tuos & vide, ſi non æquè ut priùs pellicula diſcolor ſacrum ordinem decolorat, ſi non ut priùs ſciſſura enormis penè inguina nudat.

Tum objectionem deordinatorum Clericorum diluit, & quia habitum ſtatus ſui non geſtaverunt, dicit æternùm perituros. Solent dicere, inquit, num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus? At forma hæc veſtiũ deformitatis mentium & morum indicium eſt. Quid ſibi vult quod Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? id quidem minus caſtum, minùs ſincerum. Nempè habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque ut milites pugnant, neque ut Clerici evangeliſant: cujus ordinis ſint? cùm utriuſque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt. Unuſquiſque, inquit, in ſuo ordine reſurget: iſti in quo? an qui ſine ordine peccaverunt, ſine ordine peribunt: aut ſi ſummè ſapiens Deus veraciter creditur à ſummo uſque deorſum nihil inordinatum relinquere, vereor iſtos

Digitized by Google

non alibi ordinandos quàm ubi nullus ordo; ſed ſempiternus horror inhabitat.

§. 8.

Cùm Simoniaci indigni ſint pretioſo continentiæ dono, contigit ut in impudicam Nicolaïtarum hæreſim prolaberentur.

S. Bernard. in declam.

NIhil nunc attinet, ut occulta dedecoris revelemus, nec parietem fodimus ut abominatio major appareat, quæ ex inordinatâ Simoniacorum vitâ ferè conſequitur. Nullum de fornicatione faciemus verbum: ſed nonnullos ex illis plenos eſſe luxuriâ facilè quivis ſuſpicabitur. Quando enim talibus detur pretioſum illud continentiæ munus, inquit S. Bernardus, niſi fortè ad judicium & condemnationem, nè quando paveant, & reſipiſcant, & convertantur à ſtudiis ſuis, ſed obdormiſcant in peccatis, & deteriùs pereant ex ipsâ ſuâ irreverentiâ & ſecuritate. Sanè ut exercitii ſpiritualis & curæ cordis indicium evidens eſt contemptus exteriorum, ſic eorundem ſollicitudo certum nihilominùs ſignum mentis incultæ: ſcriptum quippè eſt, in deſideriis eſt omnis otioſus, & item de ſtercoribus boüm lapidabitur piger. Hæc ille.

Ibid. verſ. finem.

Quibus annotare licet, quod Simoniaca

hæreſis & Nicolaïtarum cognatæ videātur, ſub ipſis Apoſtolorum temporibus ſimul natæ, & mediis Eccleſiæ ſæculis ſimul viguerunt. Quādo enim contigit Clericos paſſim Simoniacos eſſe tunc etiam incontinentes fuiſſe leguntur. Immò ſimul & unà hæreſes ſuas ex authoritate defenderunt. Nicolaïtæ dicuntur Clerici, inquit Petrus Damiani, qui contra caſtitatis Eccleſiacæ regulam fæminis admiſcentur. Docetque hæreſim dici ad eum modum quo Simonia hæreſis appellari ſolet. Tunc Nicolaïtæ jure dicuntur, inquit, cùm hanc lætiferam peſtem velut ex authoritate defendunt: vitium quippè in hæreſim vertitur, cùm perverſi dogmatis aſſertione firmatur.

Vide Petrū Dam. paſſim.

Ep. ad Clericos Mediolanen.

Hæc utique ambo peccata cenſurâ Apoſtolicâ non coërcita, inquit Cardinalis Baronius, in malam conſuetudinem propagāta tunc (circa ſæculum undecimum) adeò increbuerant, ut cùm ad ea Gregorius VII. Pontifex corrigenda poſt alios inſurrexiſſet, delinquentes omnes ſenſerit adverſarios. Narratque de Lamberto quodam, quod cùm cōtra concubinarios Clericos canones promulgaſſet, infremuerit factio Clericorum, hominem planè hęreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans. Dicebantq; agere contra id, qui poteſt capere capiat, quia cogeret ritu Angelorum vivere, ſi matrimonia impediret, fore ut pejus ſordeſcerent.

Ad an. 1074.

Is opinor fuit Lambertus Presbyter noſtrâs, quem Beguum, ſivè Balbum ab oris vitio

Barth. Fiſen hiſt. Leod. ad an. 1179.

nuncupabant. Ipſe enim, cùm in Clerum bina illa monſtra libido & ſimoniaca impietas graſſarentur, prodiit in publicum, ambonem conſcendit, & tantâ orationis vehementiâ illas peſtes inſectatus eſt, ut plurimi damnatâ vitæ impietate ſanctiora reſpectarent conſilia. Alii plures ridebant oris balbutiem, hominis imperitiam: ſcommatis tamen non movebatur, nec puerorum petulantiâ, qui eorum inſtinctu per plateas gradientem ſordibus impetebant. Omnia hæc Chriſti causâ Lambertus in lucro reponebat. Damnabant fiduciam temerariam, quod ſine poteſtate concionaretur: ſed inquit Ægidius Hiſtoricus ejus temporis, Spiritus ubi vult ſpirat.

Incontinentes itaque Clerici nomen Lamberti deferunt ad Epiſcopum, qui ad propria flagitia reſpiciens illum ægrè ferebat, ſed multitudinis metus prohibebat nè carceri mancipar ent. Forte ſexto idus Junias anni 1180. in templo S. Lamberti declamabat contra illa vitia, ideò furentes in eum impetum faciunt. Confugit ad principem Aram extenſis manibus, ſicut S. Lambertus Martyrium expectabat: tùm quaſi Deo plenus in pedes ſe erigit, exclamatque: Deus immortalis quanta huic templo clades impendet, dictis meis attendite quotquot adeſtis, ante triennium evertetur in ſacrilegarum nundinationum pœnam, & quæ in honorem Sanctorum Ara cõſecrata eſt, hara porcorum fiet. Dixerat, & in eum irruunt,

miſerèque percutiunt, & vinculis injectis ad carcerem rapiunt: fremebat populus & innocentem clamabat, ideò ſeditionem Epiſcopus veritus Rivoniam abduci curat.

Vaticinium autem poſt probatum fuit anno 1185. ſcintilla in turrim inciderat, neglectâ templum aduſtum, plumbum ex tectis fuſum abſterruit multitudinem, & totos tredecim dies exuſſit, uſque ad ædes S. Clementis, conditorium S. Lamberti quod in medio templi pro ope implorandâ poſuerant fuit intactum, licet metallum, quo fuerat ornatum, flammæ violentiâ defluxerit, ſubjectâ è ligno ara, & marmor quo ſuſtentabatur, flamma in cineres redegerit; lignum tamen conditorium non flamma, non fumus violavit, in loco ſanè altaris porci ſtabulari viſi fuêre.

Hoc portentum adeò Simoniacos ac concubinarios perculit, ut Lambertum è carcere ſolverint, & Romam miſerint ad rationem concionandi muneris aſſumpti reddendam. Hominem benignè audiit Lucius Pontifex, & factâ poteſtate proſequendi incœptum Leodium remiſit.

Profectò non evaſiſſet cruentas manus illorum hominum Lambertus, niſi portento divinitùs facto abſterriti fuiſſent: ipſi enim crudelitatem infidelium, & cæterorum hæreticorum immanitate ſui furoris plerumque exæquant. Id docebit nos alia hiſtoria, quæ ad annũ 1066. contigit.

Ex geſt. Arialdi per Syrũ presbit. in ejus vitâ. Vide Baron. ad an. 1066

Arialdus Vir pius ſtatum Mediolanenſis Eccleſiæ miſeratus, quæ à Simoniacis vexabatur, Romam ſe contulit, anno 1056. ſub Victore II. Papa, ibique per decennium contra illos egit, præcipuè contra Guidonem Archiepiſcopum, qui Arialdum tandem per proditionem captum, & in ſolitudines ductum necari curavit.

Sic autem res contigit, duo Clerici à nepte Archiëpiſcopi miſſi cùm quæſiviſſent illum ab iis qui abduxerant, & illi reſpondiſſent mortuum eſſe. Tum ipſi, nobis à nepte Archiëpiſcopi juſſi ſumus illum videre ſivè vivum, ſivè mortuum: & aſpicientes illum eminùs ſedentem ſuper ſaxum vinctum, in eum irruunt. Evaginatis igitur gladiis, ipſius unus unam, alter alteram arripuit auriculam, dicentes, dic furcifer, ſi Dominus noſter verè eſt Archiëpiſcopus? qui reſpondit, nec eſt, nec fuit unquam, (etenim per Simoniam ingreſſus, per Simoniam ſacra diſtrahere non ceſſabat) tunc immites clerici utramque aurem amputant. At ille oculis in cœlum elevatis ait, gratias tibi ago Chriſte, quia hodie inter tuos martyres me dignatus es connumerare. Interrogatus iterùm ſi Guido verè eſſet Archiëpiſcopus? animi conſtantiam retinens ait, non eſt. Quâpropter naſus ipſius protinùs cum labio ſuperiore eſt abſciſſus: deindè ambo oculi ſunt effoſſi: poſtea dexteram detruncant manum dicentes, hæc eſt quæ faciebat epiſtolas Romã directas. Dehinc radicitùs membrũ amputant genitale, dicentes,

prædicator caſtitatis hactenùs fuiſti, & hinc tu caſtus eris. Poſteà verò ſub gutture linguam extrahunt, dicentes, modò ſileat quæ clericorum familiam conturbavit, & diſperſit. Et ſic ſancta illa anima carne ſoluta eſt.

§. 9.

Simoniaci bona Eccleſiæ, quæ pauperum patrimonia dicuntur, in ſuperfluos ſumptus inutiliter expendunt.

TErtius & ultimus funiculus, qui juxta S. Bernardum miſeros Simoniacos in perniciem trahit, eſt abuſus rerum temporalium: nec enim illi audiunt Apoſtolum dicentem habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: ſed volunt de bonis Domini divites fieri, & ita incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. *1. Tim. 6.*

Enimverò quando poterit neceſſariis eſſe contentus, qui eo animo introivit, ut ſtipendia Cleri in uſus voluptatis, curioſitatis & vanitatis congreget, ſervet, expendat. Nullâ omninò divitiarum affluentiâ implebitur ſatiabiturque, eò quod ſuperfluè omnia abſumat, ac vanè diſsipet. Similis quippè eſt lebeti diuturno uſu perforato, qui licet in ſe omnem maris aquam recipiat, nunquam implebitur. Aut *S. Bernard. in declam.* *Greg. Nyſſen in or. funeb.*

Pſal. 103. potius, ſicut ait Propheta Regius, ipſe eſt catulus quidam Leonis rugiens, ut rapiat & quærat eſcam ſibi. Summè videlicet ſuâptè naturâ vorax eſt iſtud animal, ut licet plurimùm edat, ſemper tamen famelicus, ipsâque fame oppreſſus mugitus edit.

Lib. 3. de conſid. cap. 5. O miſerandam, inquit S. Bernardus, ſponſam talibus creditam paranymphis, qui aſſignata cultui ejus proprio retinere quæſtui non verentur. Non amici profectò ſponſi, ſed æmuli ſunt, non ſunt paranymphi ſponſæ, ſed prædatores.

Exod. 36. Amicus erat ſponſi Moyſes, qui cùm inſtaret operi in ſanctuario ædificando, quotidie mane vota populus offerebat: undè artifices venire compulſi dixerunt illi, plus offert populus quàm neceſſarium eſt. Juſſit ergò Moyſes præconis voce cantari, nè vir nec mulier quicquam offerat ultrà in opere Sanctuarii: Sicque ceſſatum eſt à muneribus offerendis, eò quod oblata ſufficerent & ſuperabundarent.

Tract. 62. in Ioannem. Paranymphus erat ipſe Chriſtus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, qui, ſicut ait S. Auguſtinus, habebat loculos à fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Ex quo primùm Eccleſiaſticæ pecuniæ forma inſtituta eſt. Poſt diſceſſum verò illius

Act. 4. ſucceſſerunt Apoſtoli, ante quorum pedes fideles pretia poſſeſſionum ſuarum quas vendiderant ponebant, dividebaturque ſingulis, prout cuique opus erat. Hujuſmodi autem

Digitized by Google

pecunias Apoſtoli adipiſcebantur tantummodò ad fovendos egentes, inquit Melchiades Papa.

Apud Grat. 12. q. 1. cap futuram.

Poſtea videntes ſummi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles, ait Urbanus Papa, plus utilitatis poſſe conferre, ſi hæreditates & agros, quos vendebant, Eccleſiis quibus præſidebant Epiſcopi traderent: eò quod ex ſumptibus eorum tam præſentibus quàm futuris temporibus, plura & elegantiora miniſtrare poſſent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipſorum, cœperunt prædia & agros, quos vendere ſolebant, matricibus Eccleſiis tradere, & ex ſumptibus eorum vivere.

Ibid. cap. videntes.

Porrò in immenſum excreverunt opes Eccleſiarum, cùm Romani Imperatores, qui penè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Chriſti converſi fuêre: unuſquiſque enim pius & fidelis certatim prædia poſſeſſioneſque dabat Eccleſiæ. Inter quas celebratur liberalitas Conſtantini Imperatoris: Liciniæ quoque divitis & potentis matronæ, quæ bona ſua Eccleſiæ Romanæ teſtamento reliquit: Item Regum Galliæ Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, cæterorumque Principum & Magnatum, quorum multi non ſolùm poſſeſſiones & prædia quæ poſſederant, ſed etiam ſemetipſos Domino conſecrarunt, ædificantes Baſilicas in ſuis fundis in honorem ſanctorum Martyrum per civitates & monaſteria innumera, in quibus

Cap. futur. citat.

De quâ vide can. Conſtãtinus diſt in. 96.

Hiſt. Tripar. lib. 1. cap. 9.

Digitized by Google

cœtus Domino ſervientium conveniret. Hæc Melchiades.

Lib. 2. de vita contẽp. cap. 9.

Sic & Hilarius Arelatenſis teſte S. Proſpero, acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus bona Eccleſiæ ſuæ mirificè ampliavit. Ex innumeris autẽ hiſce ſimilibus donationibus Eccleſiæ tantùm creverunt, & tantis maxima pars earum abũdant rebus, ut nullus fuerit in eis communem gerens vitam indigens, ſed omnia neceſſaria ab Epiſcopo ſuisq; miniſtris perceperit.

Cap. videntes. cit.

Tot verò tantæque opes non ſolùm ad miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem; ſed eo potiſſimùm conſilio in Eccleſiam conferebantur; ut indè pauperes nutrirentur. Ideòque Carolus & Ludovicus Imperatores dicunt, juxta ſanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum & patrimonia pauperum. Quin immò ipſæ etiam decimæ, quæ juxta veteris legis normam à fidelibus Eccleſiæ miniſtris principaliter attributæ fuerunt, ſic ad pauperes pertinere ſcribit S. Auguſtinus, ut eorum homicidas eſſe dicat, qui ipſas non perſolverint. Quanti pauperes, inquit, in locis ubi ipſe habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Judicis apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam ſuis uſibus reſervavit.

Lib. 1. capitul. cap. 85.

Serm. 219. de tempor.

Horum omnium bonorum diſpenſator erat Epiſcopus, qui per miniſtros ſuos & clericos quæ ad victum & veſtitum erant neceſſaria

Cã. apoſt. 41 apud Grat. 12. q. 1. cap. præcipimus.

Digitized by Google

dietim providebat, & pauperibus cœteriſque indigentibus per Presbyteros & Diaconos cum timore Dei, & omni ſolicitudine miniſtrabat. Ipſe verò ex iis participabat illa, quæ neceſſariis uſibus erant profutura: ità tamen, ut in nullo quâlibet occaſione fraudarentur pauperes aliique Eccleſiæ miniſtri, juxta S. Apoſtolum ſic dicentem: Habentes victum & tegumentum, his contenti ſimus. Quod ſi abuteretur bonis ſibi creditis, & indè aliqui pauperes affligerentur, à Synodo Provinciali, quæ quotannis cogebatur, pœnas perſolvebat: ejus quippè crimen graviſſimum æſtimabatur. Gloria Epiſcopi eſt pauperũ inopiæ providere, inquit S. Hieronymus, ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis: Amico quidpiam rapere furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt: accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe velle vel timidum, aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid indè ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. Ecce quomodò etiam prætextu utilitatis Eccleſiaſticæ parciorem eſſe erga pauperes, ſummum ſcelus eſſe judicet. S. Doctor.

Ibid. cap. Epiſc. ex Concil. Antioch. cap. 25.

Ep. ad Nepotian.

Poſtmodùm ob cupiditatem quorundam parùm rectè & ſincerè res Eccleſiæ adminiſtrantium, ſacri Canones modum rationemque diſpenſandi ipſis præſcripſerunt, ut nimirùm in quatuor partes omnia bona dividerentur. De quo ita Gelaſius Papa ait: Reditus &

Apud Gratian. 12. q. 2 cap. concesso & ſeqq.

oblationes fidelium in quatuor partes dividat: quarum unam ſibi ipſe retineat, alteram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam: quarum rationem divino eſt redditurus examini.

Denique ſicut hæc eſt rerum humanarum conditio, ut nunquam in eodem ſtatu permaneant, ſed in deteriùs vergant, antiquata fuit & prorsùs ſublata ea rerum communium diſtributio, & ſingulis miniſteriis certi reditus adjuncti aſſignatique fuêre, quibus miniſtri ipſi tanquam re propriâ fruerentur: hos reditus hodie beneficia vocamus. Quam partem abſtulerint pauperes in hoc ut ita dicam, inquit Duarenus, familiæ hæriſcundæ judicio, mihi nondum planè compertum eſt. Certè jus ad eam partem quam ante ſortiebantur, vel poſt diviſionem vel dum ab indiviſo, perdidiſſe nequeunt: ſed cura ipſa que uni Epiſcopo incumbebat, providendi in ſingulos præbendarios, diviſa eſſe prorsùs videtur.

Lib. 2. de ſacris miniſt. cap. 1.

Eſto igitur ſtudiosè quis & fructuosè laboret, dignus planè eſt operarius mercede ſuâ, ut qui altario ſervit de altario vivat: Vivat inquam de altario, ut juxta eundem Apoſtolum alimenta ex quibus tegatur habens, his contentus ſit. Tertium tamen ei hoc periculum eſt, de altario inquit vivat, non ſuperbiat, non luxurietur: denique non detur, nec contra

S. Bernard. in declam.

ſancti

ſancti cujuſdam planè dignam omni acceptione ſententiam, ex clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotondis, nec loculos indè congreget, nec in vanitate aut ſuperfluitate diſpergat, non extollat de facultatibus Eccleſiæ conſanguineos ſuos, aut neptes (ne filiam dixerim) nuptui tradat. Ea utique omnia quibus hæc fiunt bona ſunt pauperum. Res autem pauperum non pauperibus dare par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum: & ſacrilegâ eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, non utique Domini vel poſſeſſores, ultra victum accipiunt & veſtitum.

Ideò quippè dotatas & ditatas videmus Eccleſias à potentibus & divitibus hujus ſæculi, qui in operibus bonis divites, juxta Evangelii admonitionem amicos ſibi facere ſtuduerunt de mammonâ iniquitatis, à quibus in æterna tabernacula recipiantur. Quid nî ſperarent ab his recipi, qui claves videntur habere? quid nî ipſis eos commendent, quos Dominus commendavit. Certè cura pauperum olim mandabatur Epiſcopis, quod eorum erga pauperes ſtudium omnibus perſpectum eſſet.

Idem ibid.

l. 1. Cod. de Epiſc. aud.

Sed heu! data eſt ipſa providentia eorum in occaſionem carnis, & qui ſibi pariter atque aliis in cœlo tabernacula æterna parare debuerant, in terrâ conjungunt domum domo, nummum

S. Bernard. ibid.

Digitized by Google

S. Hieron. ep. ad Heliod. S. Bernard. in pſal. Qui habitat, v. 6. Petr. Dam. ep. ad Alex. & Hildebr.

addunt nummo, & in marſupium ſuffocantes; ut ſuſpiret eos Eccleſia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. Aut etiam Eccleſiarum redditus in ſuperfluitatis & vanitatis uſus diſſipant, pauperes bonis ſuis defraudãt, & cùm diſpenſatores prompti eſſe debeant pauperum ad eorum menſam affluentibus delitiis alii ructant, cùm & illi quorum eſt tota ſubſtantia, procul excluſi famis inopiâ contabeſcunt.

§. 10.

Cùm Simoniaci nunquam ſatis habeant pro inutilibus expenſis ſuis, coacervant Præbendas & Beneficia.

ad an. 1030

HInc fit quod, ſicut ait Cardinalis Baronius, cùm ſufficerent olim ſingulis clericis ſingulæ Præbendæ, ita ut ſuperfluum pauperibus daretur, modò vix duæ uni clerico ſufficiant: ſed beneficia etiam incompatibilia coacervant. Quo modo & Eccleſia multiplici miniſtrorum privatur, & fideles congruo precum ſuffragio deſtituuntur, & ipſe Deus debito cultu & honore fraudatur.

lib. 2. de ejus vita.

Ita S. Gregorius ſingula Eccleſiaſtici juris officia, ſingulis quibuſque perſonis ſingulatim committi debere dicebat, teſte Joanne Diacono, quia ſicut in uno corpore multa membra

habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in Eccleſiæ corpore ſecundùm veridicam Pauli ſententiam, in uno eodemque ſpiritu, alii conferendum eſt hoc officium, alii committendum eſt illud: neque uni quantùmlibet exercitatæ perſonę uno tempore duarum rerum officia committenda ſunt, quia ſi totum corpus eſt oculus, ubi auditus? ſicut enim varietas membrorum per diverſa officia & robur corporis ſervat, & pulchritudinem repræſentat; ita varietas perſonarum per diverſa nihilominus officia diſtributa, & fortitudinem & venuſtatem ſanctæ Dei Eccleſiæ manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: Ita nimium noxium ſimulque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa.

Accedit quod ſicut ait Concilium Latheranenſe, cùm quis unum officium vix implere ſufficiat, ſtipendia ſibi vendicet plurimorum: ſeu uti etiam dicit Joãnes XXII. quòd videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere ſufficeret, plurimorum ſibi vendicat ſtipendia, quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac teſtimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, poſſent abundè ſufficere; æquâ diſtributione collatâ: habentibus ipſa paratur vagandi materia; divini cultus minuuntur, hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſervatur: & dum non ſunt

Refertur extra. cap. Quia nonnulli, de clericis non reſidentibus. Cap. Execrabiles, de præb. & dig. extravag. comm.

ſui in unaquâque Regione rectores, Eccleſiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defenſorum auxilio in juribus ſuis & libertatibus multipliciter collabuntur: ruinis patent ædificia nobilia, quæ magnificentia extruxerat deceſſorum: & (quod amarius eſt dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculosè præbetur.

Seſſ. 24. cap 17. de refor.

Cùm itaque (prout etiam teſtatur Concilium Tridentinum) Eccleſiaſticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum; ſanctè à ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi. Ita Concilium Nicænum can. 15. & 16. Antiochenum can. 3. Calcedonenſe cap. 10. Arelatenſe 1. can. 2. Milevitanum can. 15. Synodus ſeptima can. 15. Concilium Latheranenſe citatum, & alia, ac noviſſimè Tridentinum: Sicut & Summi Pontifices, quorum decreta ac reſponſa in Jure Canonico paſſim referuntur.

Hinc autem intelligitur pluralitatem beneficiorum duplici jure, naturali & Eccleſiaſtico prohiberi: quod equidem antiqui Simoniacorum fautores ignorare ſe olim diſſimulabant. Nam quod ad jus naturale attinet, ex eo quod Eccleſia quandoque indulgeret, negabant eſſe per ſe malum habere plura beneficia: Quod verò ad Eccleſiaſticum, negabant in Eccleſiâ Gallicanâ eſſe receptum, aut ſaltem per

contrariam conſuetudinem, dicebant eſſe abrogatum. Ita Alexander III. ſcribens ad Archiepiſcopum quendam Genuenſem ait: Mirabile gerimus & indignum, quod in Epiſcopatu tuo velis inducere conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ: quæ cùm unum ad plura recipiat beneficia, contra ſanctorum Canonum inſtituta, non approbatur à nobis, licet non poſſit præ multitudine delinquentium emendari.

Refertur extra. de præb. & dign. cap. Cùm non ignores.

Propterea gravis exorta eſt de hac re controverſia inter Doctores Pariſienſes, de quâ Thomas Cantipratanus Suffraganeus Cameracenſis ſic ſcribit: Fui Pariſiis anno 1238. cùm Guillielmus Pariſienſis Epiſcopus, qui in Theologiâ jam rexerat, convocavit omnes Magiſtros in capitulo Fratrum Dominicanorum, ad diſcutiendam quæſtionem de pluralitate Beneficiorum. Poſt ſolertem verò & prolixam valdè diſputationem concluſum eſt, duo beneficia dummodò alterum quindecim libras Pariſienſes valeret teneri cum ſalute animæ non poſſe. Id ita determinavit Epiſcopus. Eandem quoque ſententiam in ſcholis ſucceſſivè ſecuti ſunt Hugo Dominicanus poſtea Cardinalis, Frater Guerricus, Gaufridus, Joan. de Rupella, aliique plures. Fuerat eadem quæſtio diu ac multò celebrius ante tres annos agitata, atque tùm Doctores omnes in eandem ibant ſententiam, duobus exceptis, quorum unus fuit Philippus Cancellarius Pariſienſis, & alter

Lib. 1. apum cap. 19. Idem refert Dio. Carth. lib. de plur. benef. cap. 1.

Magiſter Arnoldus poſtea Epiſcopus Ambianenſis. Quid autem de Philippo contigerit audiamus. Agoniſantem Cancellarium in morte D. Guillielmus Pariſienſis Epiſcopus paternâ ſollicitudine viſitavit, rogans eum ut ſingulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, & omnia beneficia ſua excepto uno in manus Eccleſiæ reſignaret: & hoc conditione mediâ, ut ſi convaleſceret ei ſupplere vellet de ſuo proprio quod dimiſit: renuit ille, experiri ſe velle dicens, utrùm eſſet damnabile beneficia plura tenere. Mortuus eſt ergò ſic: poſt paucos verò dies cùm prædictus Pariſienſis Epiſcopus poſt Matutinas orare vellet, vidit inter ſe & lumen quaſi umbram quandam hominis tetram nimis, elevatâ ergò manu conſignat ſe, & ſi ex parte Dei ſit præcipit ut loquatur. Et reſpondit apparens, alienus à Deo ſum, & tamen mirabilis factura ejus. Et Præſul, tu quis es ? Et ille : Ego ſum inquit Cancellarius ille miſerrimus. Rurſus Epiſcopus elevato altius gemitu: & quomodò inquit tibi eſt ſic dolenti? malè ait, immò & peſſimè, ſicut qui damnatus morte æternâ. Et Epiſcopus, heu ait chariſſime, & quæ cauſa eſt tuæ damnationis? & ille: tres ſunt, inquit, cauſæ quare morte perpetuâ ſum damnatus. Una eſt quod creſcentes fructus annuos contra pauperes timidè reſervavi. Secunda quod contra ſententiam plurimorum de pluralitate Beneficiorum quaſi licitè tenendorum ſententiam propriam

defenſavi, & in hoc me periculo mortalis culpæ commiſi. Tertia eſt & illa graviſſima omnium, quod abominabili carnis vitio in ſcandalum multorum multò tempore laboravi. Ipſe Epiſcopus ea in prædicatione ſuâ Clericis omnibus recitavit. Hæc Cantipratanus.

Cùm itaque Doctores cōmuniter eam ſententiam amplecterentur, quæ prohibet plura habere Beneficia, illam tum ex jure naturali, ſeu ex deordinationibus poſſeſſioni plurium Beneficiorum annexis (de quibus ſupra) propugnabant: tum etiam ex variis Canonibus identidem reiteratis, qui ideò abrogati cenſeri non poterant, immò nec omninò abrogari, cum ratione naturali niterentur; licet fortè præ multitudine delinquentium iſtiuſmodi pluralitas per pœnas & cenſuras emendari non potuerit, ſicut ait Alexander III. *Supra cit.*

Unde ad rationes adverſariorum ita reſpondebant: quod habere plures præbendas non ſit actio ſecundùm ſe mala ut Deum odire, (verba ſunt S. Thomæ) nec ſecundùm ſe bona, ut Deum amare, nec ſecundùm ſe indifferens ut levare feſtucam; ſed continetur inter actiones, quæ abſolutè conſideratæ important deordinationem quandam, ſed ex circumſtantiis advenientibus efficiuntur bonæ, ut occidere ſi occidendus ſit malefactor, & occidatur propter juſtitiam; quia habere plures præbendas continet in ſe plurimas inordinationes, utpotè quia non eſt poſſibile aliquem in pluribus *Quodlib. 9 quæſt. 7.*

Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus, cùm præbendæ videantur eſſe ſtipendia ibidem miniſtrantium Deo. Sequitur etiam divini cultus diminutio, dum unus loco plurium inſtituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc bona Eccleſiis contulerunt, ut ibi eſſet certus numerus ſervientium Deo. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum poteſt habere. Sequuntur etiam multa alia hujuſmodi. Tamen per circumſtantias prædictæ deformitates poſſunt totaliter evacuari, putà ſi pluribus Eccleſiis ejus obſequium ſit neceſſarium, & poſſit plus vel tantundem ſervire abſens ut alius præſens, & hujuſmodi: & tunc ſi adſit recta intentio, non erit peccatum, etiam nullâ interveniente diſpenſatione, ſi conſideretur tantùm ſecundùm jus naturale, ad quod diſpenſatio non pertinet, ſed ſolùm ad poſitivum. Si verò quis hac intentione plura Beneficia habeat, ut ſit ditior, vel lautiùs vivat, vel faciliùs perveniat ad Epiſcopatum, non tolluntur illæ deformitates, ſed augentur.

Quod verò ad jus poſitivum attinet, ita proſequitur S. Doctor: Secundùm antiqua jura prohibitum eſt habére plures præbendas, ſed conſuetudo eſt in contrarium, per quam quidam dicunt iſta jura abrogari, & quidam hoc negant: quæ controverſia Juriſtis relinquatur, quamvis hoc ſit probabile, quod in quantùm

continent jus naturale, abrogari non poſſunt; ſed ſolùm in quantùm continent jus poſitivum, ſi hi quorum eſt jus poſitivum mutare, ſcientes contrariam conſuetudinem, & diſſimulanter intendunt per hoc antiqua jura mutare. Igitur ſi ſtant in ſuo robore antiqua jura, non poteſt quis habere plures præbendas ſine diſpenſatione, etiam ſupervenientibus dictis circumſtantiis. Si verò ſunt abrogata, tunc ſupervenientibus dictis circumſtantiis licet etiam ſine diſpenſatione, & ſine eis non licet, etiam cum diſpenſatione; quia humana diſpenſatio non aufert ligamen juris naturalis, ſed ſolùm poſitivi.

Ex his colligitur, quod cùm indubitatum ſit, antiqua jura in vigore ſuo nunc perſeverare, nemo poſſit licitè ſine diſpenſatione plura Beneficia obtinere: ita quippe Concilium Tridentinum recentiſſimè conſtituit, ad præcidendas omnes ambitioſorum & quæſtuoſorum cavillationes his verbis: Verùm quoniam multi improbę cupiditatis affectu ſeipſos, non Deum decipientes, ea quæ benè conſtituta ſunt variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt, ſancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti decreto, quod in quibuſcumque perſonis, quocumque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari; ſtatuit, ut in poſterùm unum tantùm Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur. *Seſſ. 24. cap. 17. de refor.*

Digitized by Google

Porrò ad hujuſmodi diſpenſationem obtinendam, juxta veriorem veterum ſententiam cauſa legitima requiritur, quæ ex particulari Beneficiarii utilitate nullatenus eſt repetenda, ſed potius ex communi ipſius Eccleſiæ: ita expreſsè S. Bernardus dicit: nec cuiquam plures in pluribus Eccleſiis habere licet (præbendas) niſi diſpenſatione quidem ob magnam vel Eccleſiæ utilitatem, vel perſonæ neceſſitatem, non propriam, ſed communem.

In ep. quadã ſimilia habet in lib. de conſid.

Tres cauſas veteres Summiſtæ afferunt ex Gaufrido, dum plures idonei non reperiuntur, utilitas Eccleſiæ, & eorum quibus præeſſe debet, & prærogativa meritorum, putà quia plus valet abſens quàm alius præſens. Verùm communiter tres aliæ conſiderantur, quæ ad illas ut juſtæ reputentur revocari debent. Prima eſt quando Beneficia ſunt ita tenuia, ut ad ſuſtentationem clerici non ſufficiant, de quâ Tridentinum ita ait: Quod quidem ſi ad vitam ejus cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Duæ aliæ ſunt litteratura & nobilitas clerici: de quibus Innocentius III. ait, circa ſublimes tamen & litteratas perſonas, quæ majoribus Beneficiis ſunt honorandæ, cùm ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.

Vide Silveſtrum V. Beneficium 4. num. 1.

Seſſ. 24. cap. 17. de refor.

Cap. de multa extra. de præb. & dign.

Verùmenimverò provida relaxationum diſpenſatio multis data eſt in occaſionem carnis

S. Bernard.

Digitized by Google

qui licet de bonis Eccleſiæ incraſſati & dilatati videantur, diſpenſationes nihilominùs ad plura Beneficia obtinenda prætextu paupertatis ſeu tenuitatis Beneficiorum identidem repetunt. Ita etiam captatores Beneficiorum Romam certatim curſitant, inquit Duarenus, prætextu litteraturæ aut nobilitatis veniam à Pontifice impetraturi, quæ nemini, quamlibet indigno denegari conſuevit: quâ ex re tanta Eccleſiæ deformatio exorta eſt, ut nulla vis humani ingenii ad eam indignitatem exprimendam ſufficiat. Ita ille. *Lib. 8. de ſacris miniſtris cap. 4.*

Quâpropter Synodus ſeptima animadvertens abuſum iſtiuſmodi excuſationis, maluit Clericos adigere ad laborandum propriis manibus, quàm pluralitatem Beneficiorum concedere. Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis, inquit, negotiationis enim hoc eſt & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſticâ conſuetudine penitùs alienum. Audivimus enim ex ipsâ dominicâ voce, quod nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Aut enim unum odio habebit & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Unuſquiſque enim ſecundùm Apoſtolicam vocem in quo vocatus eſt, in hoc debet manere, & in unâ locari Eccleſiâ. Quæ enim per turpe lucrum in Eccleſiaſticis rebus efficiuntur, aliena conſiſtunt à Deo: ad vitæ verò hujus neceſſitatem ſtudia diverſa. Ex his ergo, qui voluerit acquirat corporis opportuna. *Cap. 15. apud Gratiã. 21. q. 2. c. 1.*

Digitized by Google

Ait enim Apoſtolus, ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.

Refertur diſt. 70. can. Sanctorum.

Urbanus verò II. Papa, in Concilio Placentino, ex eo quod præbendæ quas Canonici obtinent, ſint communiter ſufficientes ad congruentem eorum alimoniam, prohibet unum Canonicum prębendarium eſſe in pluribus Eccleſiis: Capellas autem, quæ ordinariè non ſunt ſufficientes, permittit diſpoſitioni Epiſcopi ſeu Præpoſiti majoris Eccleſiæ, ut videlicet per uniones, &c. congruæ ſingulorum clericorum ſuſtentationi provideatur. Omninò autem, inquit, in duabus aliquem titulari non liceat, ſed unuſquiſque in quâ titulatus eſt, in eâ tantùm Canonicus habeatur: licet enim Epiſcopi diſpoſitione unus diverſis præeſſe poſſit Eccleſiis: Canonicus tamen præbendarius, niſi unius Eccleſiæ in quâ conſcriptus eſt, eſſe non debet. Si quæ tamen Capellæ ſunt, quæ ſuis reditibus clericos ſuſtentare non poſſunt, ea cura ac diſpoſitio Præpoſito majoris Eccleſiæ, cui Capellæ ſubditæ eſſe videntur, immineat, & tam de poſſeſſionibus quàm de Eccleſiaſticis Capellarum officiis ipſe provideat.

Porrò cùm iſtiuſmodi Canonum diſpoſitiones non fuerint ad uſum deductæ, ſicut multiplicatis poſteà tenuibus beneficiis neceſſe fuit diſpenſationes ad plura beneficia ſæpiùs iterari, nè contigeret eos qui divinis miniſteriis mãcipabantur indigere, & ut qui altari ſervit de altari

viveret: ita plurimi modum avaritiæ non ponentes, etiam dum beneficia verè ſufficientia obtinerent, pro diſpenſationibus apud Pontifices interpellarunt. De hoc Joannes XXII. conquæritur, dum ait: Execrabilis quorundam tam Religioſorum, quàm ſæcularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eò magis inſatiabilis creditur, quò amplius ſibi indulgetur, & improbitas importuna petentium à nobis & Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, non tam obtinuiſſe quàm extorſiſſe plerumque noſcuntur, ut unus interdùm, etiam ad unum beneficium Eccleſiaſticum minùs idoneus, in diverſis Eccleſiis, nedum vicinis, ſed ab invicem longè diſtantibus, &c. diverſa beneficia curam animarum habentia (idem eſt nunc de ſimplicibus) poſſit diſpenſativè, cùm aliàs non liceret de jure communi, recipere, & ſimul licitè retinere. *Extravag. execrabilis, de præb. & dign.*

In hoc autem illi dupliciter peccare convincuntur. Primò contra jus poſitivum: quia Pontifices in eo diſpenſare non intendunt, niſi cauſæ allegatæ verè ſubſiſtant. Ideòque Gregorius IX. de illo qui plura beneficia ſurreptitiè obtinuerat reſpondet: indulgentiam quam ſuper hoc aſſerit ſe habere, invalidam reputavimus; cùm in eâ falſitatem ſuggerit, & ſuppreſſerit veritatem, quâ tacitâ vel expreſsâ ipſam nullatenus habuiſſet. *Cap. dudum extra. de electio. & elect. poteſt.* Secundò contra jus naturale: quia ſicut ait S. Thomas, humana diſpenſatio non aufert ligamen juris naturalis, *Supra cit.*

Digitized by Google

nec ullę ſubſiſtunt circumſtantiæ, quæ auferant deordinationes annexas poſſeſſioni plurium beneficiorum.

Ex quo apparet, eos, qui prætextu titularis cujuſdam litteraturæ, aut cujuſcumque infructuoſæ; ſicut etiam qui prætextu exilis nobilitatis, aut excellentioris per quam niſi ut cum inſigni pietate conjunctam ſtatum Eccleſiaſticum illuſtrent, atque authoritate ſuâ non parùm adjuvent, eique in effectu patrocinentur, non videri excuſandos de pluralitate beneficiorum. Quia per iſtiuſmodi titulos non tollitur ligamen juris naturæ, inquit S. Thomas, ſeu deordinationes annexæ non auferuntur, aut compenſantur per majus bonum.

Ideoque etiam juxta veterum Canoniſtarum mentem, nec Papa præſumitur diſpenſaſſe, tùm quia incompetenter auferret ligamen juris poſitivi, tùm quia non diſpenſat in jure naturali. Undè Panormitanus dicit ſe habere pro indubitato, quod non ſit tutus quoad Eccleſiam triumphantem, etiam diſpenſatus per Papam, quando diſpenſatus eſt ad ſuam utilitatem: quia hoc caſu non ſolùm alteratur juris poſitivi diſpoſitio, ſed etiam Chriſti patrimonium injuſtè diſpergitur: Undè cùm bona Eccleſiæ Papa ſine causâ alienare non poſſit ſine gravi peccato: multò minùs poteſt dare licentiam alteri ipſa diſpenſandi, aitque idem Panormitanus, conſuetudinem contrariam non valere.

Vide Silveſtrum V. Beneficium 4. nium. 4.

Dum igitur veteres dicunt prærogativam meritorum, eſſe unam ex cauſis diſpenſandi, mox adjungunt, putà quia plus valet abſens, quàm alius præſens; ut ſignificent, diſpenſationem non eſſe referendam ad utilitatem privatam, uti adaugendam ejus familiam, vel ut lautiùs vivat, aut faciliùs Epiſcopatum aut aliã dignitatem acquirat, quia hac intentione tenere plura Beneficia, inquit S. Thomas, eſt illicitum. Sed potius ad publicam, ut videlicet litteratus poſſit emere libros ad ſtudium, ut à ſe ſcripta poſſit in lucem emittere, &c. Illuſtris autem, ut poſſit habere neceſſaria ad expenſas patrocinii à ſe præſtandi. Ideòque S. Bernardus ait diſpenſationem concedi ob perſonæ neceſſitatem, non propriam, ſed communem. *Supra cit.* *Supra cit.*

Quod verò attinet ad neceſſariam ſuſtentationem perſonæ, non videtur illa metienda ex nobilitate ipſius; alioquin poſſet unus homo coacervare plurima Beneficia, quæ tandem vix ſufficerent illi, non ſine deordinationibus ordinariis ac detrimento Eccleſiæ: (talibus utique deſtinantur dignitates majores & opulentiores, quas vel obtinebunt, ſi animum clericandi factis præoſtenderint: virtute quippe ambire oportet, inquit Plautus non fautoribus. Sat habet fautorum ſemper qui rectè facit: ſin autem ex ſuperiorum incuriâ illas non obtinuerint, ratio dictat præſtare eos per patrimonium ſupplere unius Beneficii inſufficientiam, quàm Eccleſiæ incon- *In Amphit.*

Digitized by Google

grua detrimenta afferre.) Sed potiùs metienda eſt ex communi æſtimatione hominum judicantium quid ad honeſtam unius Clerici (præſcindendo à qualitate gentilitiæ nobilitatis) ſuſtentationem requiratur.

Ita Doctores Sorbonici olim determinaverant quindecim libras Pariſienſes, nos autem ex conſtitutione Pii V. qui pro congruâ portione Parochis aſſignandâ, determinavit centum ducatos de camerâ, ut ſummum, credere poſſumus nongentos aut mille florenos monetæ noſtræ Leodienſis ſufficere Canonicis, Parochis, aliiſque ſimilibus Clericis. Et certè illi quorum intereſt hujuſmodi portiones aſſignare, exiſtimant illam determinationem omninò eſſe ſufficientem: ergo & eam ſibi congruere judicare debent. Quod enim quis in alterius perſonâ æquum eſſe credidit, æquum id in ſuâ quoque perſonâ valere patiatur.

Quæ incipit ad exequendum.

L. 1. ff. quod quiſq.

Sic etiam Sanctio pragmatica Galliæ ex Concilio Conſtantienſi deſumpta, aſſignat duplum, videlicet ducentos ducatos de Camerâ pro iis qui dignitatem aut præbendam Cathedralem obtinent.

Tit. de collat.

Videas ergò qui plura poſſides beneficia ex diſpenſatione, inquit inſignis quidam qui gloſſam ſcripſit in eam Pragmaticam: Si tibi adſint cauſæ requiſitæ ad diſpenſationem, alioquin timendum eſt tibi in foro conſcientiæ, ut non valeat tibi diſpenſatio prodeſſe: nam in decret. de multâ, inſcriptum eſt, quod Papa diſpenſat, ut

Tit. de collat.

Digitized by Google

ut quis habeat plura beneficia, ſed convenienter additur hæc clauſula, cùm ratio poſtulaverit. Quæ autem ratio poſtulat, ut unus in Eccleſiâ habeat tot præbendas, tot beneficia ſufficientia, undè duo, vel tres, vel quatuor Sacerdotes, ſeu fortè plures honeſtè & commodè poſſent ſuſtentari. Utique non apparet rationabile. Propter hoc enim fuerunt data bona Eccleſiis, & adminiſtratio Epiſcopis & aliis Prælatis conceſſa, ut nullus in Eccleſiâ penuriam patiatur. Et infra: valdè utique iniquum & injuſtum eſt, ut multi eſuriant fortè meliores, & unus fortè ebrius, vilis in verbo & peſſimus in exemplo abundet. Ita ob hujuſmodi pluralitatem dicit quidam S. Doctor, quod medietas miniſtrorum Dei, eſt quaſi reſecata per hoc genus avaritiæ, ſi enim cuilibet beneficio permitteretur dari ſuus poſſeſſor, numerus ſervorum Dei eſſet duplex, qui modò eſt ſimplex. Sic etiam occupantur ſtipendia pauperum contra intentionem fundatorum, qui propter officium fundaverunt beneficium, & ut fructus ſupereſſentes in pias cauſas elargirentur: impotentia pluribus deſerviendi: præſtatur materia diſſolutionis & vagationis tam in veſtibus quàm in moribus, juxta illud Scripturæ, Procedit ex adipe iniquitas. Ita ille, ex Panormitano, & aliis.

12. q. 1. cap. Videntes, cap. Ex his, & cap. Epiſcopus.

Hinc eſt quod ſancti Viri execrati ſunt ſemper beneficiorum pluralitatem: ut quidam bonus Epiſcopus Pariſienſis, ſicut idem ſubdit,

Digitized by Google

cùm ſibi offerretur Abbatia, Abſit, inquit, ut habeam cum ſponsâ concubinam. Et Paulus II. cùm pro filio Regis ſibi ſupplicaretur, ut duos Epiſcopatus concederet: Etiam, inquit, ſi eſſet filius Dei non concederem, abſit ut in Eccleſiâ Dei ponam digamiam.

Nè autem quis exiſtimet vel Canones, vel Doctores pluralitatem beneficiorum condemnare, quatenùs illa incompatibilia dicuntur, aut propter curam animarum, aut propter continuam reſidentiam quam requirunt, (ſicut etiam aliqui Canoniſtæ opinati fuêre, quod Canones plerumque eò ſpectare videantur.) Conſiderandum eſt pro foro conſcientiæ dictamen rationis naturalis, quæ non minores ſuggerit deordinationes in poſſeſſione plurium beneficiorum ſimplicium, quàm in defectu reſidentiæ reperiantur. Ideòque rectè obſervat Panormitanus, quod ſola reſidentia non eſt cauſa prohibendæ accumulationis beneficiorum, ſed ambitio, avaritia; quia occupantur ſtipendia pauperum, & cœtera mala, quæ peſtis Simoniaca in Eccleſiam invehere ſolet.

Ex quo utique in Eccleſiis ſicut in Romano Imperio crevit avâritia, ut verbis S. Hieronymi utar: Periit lex de Sacerdote & viſio de Propheta: ſinguli quique per pecuniam aut potentiam ſacerdotalis nominis, quam ſibi ipſi illicitè abſque Eccleſiâ vendicarunt, totum quod aliorum eſt in uſus ſuos redigunt, nec hoc ſibi

De 7. ordin. Eccleſ. cap. 5

Digitized by Google

quod adſcriptum eſt vendicant, ſed cunctis auferunt univerſa. Mendicat infælix Clericus in plateis, & ſervili operi mancipatus publicam à quolibet depoſcit alimoniam. Et quidem ex eo deſpicitur cunctis ſacerdotale officium, dum miſericordia deſolatus juſtè putatur ad hanc ignominiam deveniſſe. Solus autem incubat bonis Simoniacus, ſolus miniſterio utitur, ſolus univerſa ſibi vendicat, ſolus partes invadit alienas, ſolus occidit univerſos.

§. 11.

Simonia litibus jurgiis & contentionibus Eccleſiam replet.

INter cœtera vitia quæ Apoſtolus à clerico removet, unum eſt litigium: Non litigioſum inquit: Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Ideòque Concilium Carthaginenſe quartum, diſcordantes Clericos jubet per Epiſcopum, vel ratione vel poteſtate ad concordiam trahi: inobedientes verò per audientiam Synodi damnari. Sic & Agathenſe eos qui longinquâ inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diuturnâ obſtinatione nequierint, dicit à Sacerdotibus Civitatis primitùs arguendos: qui ſi inimicitias deponere perniciosâ intentione noluerint, de

1. Tim. 3.

1. Cor. 11.

Can. 59.

Cap. 31.

Digitized by Google

Eccleſiæ cœtu juſtiſſimâ excommunicatione pellantur.

S. Bernard. ſerm. 17. de modo bene vivendi.

Nec ſanè immeritò nihil enim eſt turpius, quàm lites inter clericos, qui debent per concordiam & dilectionem lucere in mundo, ſicut luminaria in cœlo. Et qui oblationes diſſidentium recipere prohibentur, quâ fronte ad altare accedunt, dum litigandi facilitate alios ad diſſidium provocant.

S. Bern. cit.

Utique ſi nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis, quia vitam in pace tranquillam, ab omni humano ac forenſi ſtrepitu alienam ducere debet: dum illi qui debent vivere in pace, incipiunt contendere, litigare, detrahere, ubi eſt vita tranquilla, ubi vita quieta, ubi vita honeſta, ubi vita modeſta? Contentio lites parit, contentio jurgia ſeminat, contentio faces odiorum accendit, contentio concordiam rumpit, contentio conturbat oculum mentis, ſicut ait David, turbatus eſt à furore oculus meus; inquit ſanctus Bernardus.

Paſtor. c. 11.

Contentionum verò inter clericos radix eſt ſimoniacus ambitus, ſeu Mater ejus avaritia, quæ ſicut ait S. Gregorius, dum captivam animam quaſi delectat, exulcerat, dumque adipiſcenda quæque cognitioni objicit, ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit, quia æſtuanti animo ex culpâ abundantiam promittit.

S. Greg Nazian. orat in laud. s. Baſil.

Ita videlicet nonnulli dum vident Sacerdotii dignitatem non virtute, ſed malis potiùs

Digitized by Google

artibus comparari, ad fraudes aliquando & contentiones convertuntur, ut etiam hac ratione de bonis Eccleſiæ ditari poſſint. Gratiâ Sedis Apoſtolicæ abutentes, litteras ejus ad remotos judices impetrare nituntur, ut reus fatigatus laboribus & expenſis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. *Innoc. III. in cõcil. Lather. c. 37.*

Sunt & alii, qui ſe ad novum genus mercimonii convertentes, fingunt cauſas, ſuper quibus à Sede Apoſtolicâ litteras impetrant, quas reo, nè propter eas laborum vel expenſarum diſpendio moleſtetur, venales exponunt: Seu illum indebitâ moleſtatione fatigando, ad redimendam vexam compellunt, nullamque in eo pertimeſcunt culpam quam redimi numinis exiſtimant. Aut etiam non gratis & amicabiliter componendo, ſed potiùs aliquo dato vel retento ſeu promiſſo ſuper re ſacrâ tranſigunt, quod omninò Simoniam continet. Niſi fortè quod ſuper negotio magis circumſpecti, non tanquam ex pacto, ſed ex juſſione judicis aliquid ſibi pro bono pacis exhiberi procurant: in quo quidem pœnas nequiter evadunt humanas, ſed pro intentione quam habent iſtiuſmodi compenſationis procurandæ, Simoniæ crimen apud Deum incurrunt. Sicut & Innocentius III. ſatis indicavit arbitrariam judicis compoſitionem admittendo. *Idẽ ibid. refertur extra. de reſcrip. c. nonnulli.* *S. Iſidor. lib. 3. de ſummo bono c. 58.* *Vide extra. de tranſact. cap. ſuper eo.* *cap. niſi eſſet extra. de prab. & dig.*

Alii denique in triturâ fori continuò verſantur, ut ſi fortè in aliquâ proviſione circa

formulas ſeu obſervationes Cancellariæ peccatum fuerit (quod plerùmq; devitari vix poteſt, niſi magnâ cautelâ, & maturò admodum conſilio negotia peragantur) ex hoc pretextu reſcripta Apoſtolica impetrant, quibus de Beneficiis aliorum in ſuum favorem provideri procurant; qui profectò (niſi alia incommoda prohiberent.) multò magis eſſent repellendi, dùm non zelo juſtitiæ, ſed cupiditatis æſtu commoventur, dumque animum ad lites & concertationes magis, quàm ad pietatem compoſitum oſtendunt.

Ex hujuſmodi porrò machinationibus, quas bonorum Eccleſiaſticorum turpis appetentia ac quæſtus Simoniacus ſuggerit, lites innumeræ & contentiones inter ſervos Dei excitantur, rancores & jurgia nutriuntur, pluralitatis Beneficiorum fovetur ambitio, pauperes diſcurrendo innumerabiles vexationes ſubeunt, atque ſuis patrimoniis & parentum opibus exhauſtis gravi egeſtati ſubjacere coguntur; plurimi abſque juſto titulo Beneficia ſibi vendicant, & non quibus jure debentur illi obtinent; ſed nonnunquam hi quibus & circumveniendi proximum major aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit uberior. Juvenibus etiam qui ſtudio litterarum & virtuoſis operibus intendere deberent, datur materia evagandi, ac litigiorum tumultibus turbantur & inquietantur. Hinc oriuntur frequentia ſcandala, ac diverſorum transgrediendo con-

Sãctio prag. tit. de collat.

Glaber lib. 2. cap. 6.

vellitur tenor ordinum. Quæ omnia gravem confuſionem ſtatui Clericali, diſpendium divini cultus, & præjudicium publicæ ſalutis afferunt.

Unum hujus rei ex antiquis monumentis profero exemplum, quod ethnicis hominibus non levem præbuit ſcandali materiam, dum ipſi ſingularem vitæ Clericalis formam intuentes, non ſolùm laudare, ſed etiam per eam ad fidem chriſtianam amplectendam commoveri ſe ſentiebant. Illud eſt ſchiſma quod Urſicinus contra Damaſum Papam excitavit, de quo Ammianus Marcellinus infidelis homo ſic ſcribit: Damaſus & Urſicinus ſupra modum humanum ad rapiendam Epiſcopalem Sedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrimè conflictabantur, aduſque mortis vulnerumque diſcrimina, (parùm æquus videtur æſtimator in causâ Damaſi, qui cùm vir egregius eſſet, ab Epiſcopis ac populo Chriſtiano poſteà confirmatus fuit,) adjumentis utriuſque progreſſis, quæ nec corrigere ſufficiens Viventius, nec mollire, vi magnâ coactus ſeceſſit in ſuburbanum: & in concertatione ſuperaverat Damaſus, parte quæ ei favebat inſtante. Conſtatque in Baſilieâ Sicenini, ubi ritus Chriſtiani eſt conventiculum, uno die centum triginta ſeptem cadavera reperta peremptorum, efferatam diu plebem ægrè poſtea delinitam. *Lib. 27. fol. 220.*

Deinde occaſionem hujus contentionis docet fuiſſe abuſum bonorum Eccleſiæ, ad quæ

Digitized by Google

appetenda ambitioſi commoventur. Neque ego abnuo, inquit, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere; cùm id adepti, futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedant vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas; adeò ut eorum convivia regales ſuperent menſas.

Quantùm verò per ordinatam vitam eorum, qui non per ambitum, aut quæſtus gratia ad Eccleſiaſtica munera devenerant commoveretur, oſtendit his verbis: Qui eſſe poterant Beati reverà, ſi magnitudine urbis deſpectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam Provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant & verecundos.

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.
De Pœnis & Obligationibus Simoniacorum.

§. I.

De depoſitione & excommunicatione per Canones in ipſos decretâ.

PEr totum textum ſancti Evangelii nuſquam reperitur Dominus tantâ ſeveritate, tam diſtrictâ cenſurâ juſtitiæ peccantes corripuiſſe, quàm vendentes ementesque columbas ac nummularios; cùm non ſolùm eloquio eos increpans, verùm etiam facto flagello de funibus, verberans omnes eliminavit è templo. Per id profectò apertè demonſtravit, quod tales negotiatores, qui ordines, præbendas, ac beneficia Eccleſiaſtica pro pecuniâ diſtrahunt divenduntque; non ſicut cœteri peccatores ſunt corripiendi: ſed à templo Dei, ideſt à ſanctâ Eccleſiâ longiùs ſunt projiciendi. *Alex. II. papa epiſt. ad Clerũ Lucẽ. apud Grat. 1. q. 3. cap. Ex multis*

Hujuſmodi exemplum gnaviter proſecuta eſt Eccleſia intemerata Chriſti ſponſa, quæ iteratis perpetuò Canonibus inſoleſcentes filios

Digitized by Google

à ſuis limitibus, quos pecuniis nefariè appetebant, exarcuit. Cùm autem ingens ſit eorum numerus, aliquos tantùmmodò ſubnectam, tùm ut (quantùm inſtituti noſtri intereſt) appareat, quanto molimine Eccleſia machinationes peſtis Simoniacæ cohibere ſtuduerit, tùm etiam ut ipſimet Simoniaci videant, qualibus ſe cenſurarum laqueis implicari ſinant, quantis execrationum fulminibus percellantur.

Cap. 2. Præcipuus eſt Canon ſexcentorum Epiſcoporum in Concilio Calcedonenſi, qui à pluribus deindè Synodis, Pontificibus ac Patribus laudatus atque iteratus fuit. Is autem ſic ſe habet: Si quis Epiſcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & ſub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non poteſt, ordinaveritque per pecuniam Epiſcopum, Chorepiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet de his qui connumerantur in Clero: aut promoverit per pecunias diſpenſatorem aut defenſorem, vel manſionarium, vel quemquam omninò, qui ſubjectus eſt regulæ, pro ſuo turpiſſimi lucri commodo: is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt, nihil ex hâc ordinatione vel promotione, quæ eſt per negotiationem facta proficiat, ſed ſit alienus à dignitate vel ſollicitudine quam pecuniis acquiſivit. Si quis verò mediator tam turpibus & nefandis datis & acceptis extiterit, & ipſe ſi quidem Clericus fuerit,

proprio gradu decidat: ſi verò laïcus aut monachus, anathematiſetur.

Vigeſimus octavus Canon, inter eos qui Apoſtolici dicuntur, ſic etiam ait: Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu hanc dignitatem nactus fuerit deponitor, tam ipſe, quàm qui eum ordinavit, & omninò à communione abſcinditor, quemadmodùm Simon Magus à Petro.

Synodus ſexta in Trullo ait: eos qui per pecunias ordinati ſunt, ſivè Epiſcopi, ſivè quicumque Clerici, & non ſecundùm probationem & vitæ optionem, deponi præcipimus: ſed & eos qui eos ordinaſſe noſcuntur.

Can. 22. qui refertur in ep. Taraſii lecta & approbata in 8 ſeſſ. Niceni 2 Concil. quod eſt 7. Synod. univerſalis.

Epiſtola Circularis Concilii Conſtantinopolitani ſub Gennadio ait: Oportet gratiam ſemper eſſe gratiam, & argentum apud eam nequaquam intercedere. Sit ergò & ab omni ſacerdotali dignitate & miniſterio alienus, & anathematis loco ſubjectus, qui & ſe per pecunias acquirere exiſtimat, & qui eam pecuniis habere pollicetur, ſivè ſit clericus, ſivè laïcus, ſivè hoc facere convincatur, ſivè non: quia fieri non poteſt, ut conveniant quæ convenire nequeunt, nec ut mammona Deo conſentiat, vel qui ei ſerviunt Deo ſerviant.

Ann. 455.

Septima Synodus: Omnis Epiſcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus quod pro muneribus ordinationem dederit vel acceperit, à ſacerdotio cadit. Et poſt. Sed quid hoc dico? Sequẽs ſanctos Apoſtolos & venerabiles Patres

Refertur 1. q. 7. cap. ſi quis.

cum omni fiduciâ clamo; qui per Simoniam ordinatus eſt ſivè Epiſcopus, ſivè Presbyter, ſivè Diaconus, aliènus eſt à Sacerdotio: neque enim vènalis eſt gratia Spiritus ſancti. Caiphæ traditio & adinventio Simonis à ſancto Sacerdotio eſt aliena.

Ep. ad Adrianum pap.

Taraſius qui ei Synodo præſedit, ita etiam ait: quod ſi quis eam (gratiam Spiritus ſancti) auro emiſſe convictus fuerit, hunc à Sacerdotali ordine excidiſſe pronuntiant (ſententiæ videlicet ex divinis Scripturis & Patrum doctrinis) quanquam nomine Sacerdotium ſortitus eſt, ſed in eum falsò nomen iſtud conferri reipsâ comprobatur.

1. q. 1. cap. Qui per.

Citat etiam Gratianus hunc Canonem tanquam ex Synodo octavâ: qui per pecunias quenquam conſecraverit, vel ab alio conſecratus eſt, alienus à Sacerdotio fiat. Verùm ex ſuperioribus Synodis potiùs deſumptus videtur.

Apud Ivon. par. 5. c. 76.

Gelaſius Papa ait: Quos conſtiterit indignos meritis ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem, convictos oportet arceri, quia dantem pariter & accipientem, damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, involvit.

Apud Grat. 1. q. 1. cap. Sanctorum.

Calixtus Papa: Sanctorum Patrum exempla ſequentes, & officii noſtri debito innovantes, ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſiâ Dei, vel promòveri authoritate Sedis Apoſtolicę modis omnibus prohibemus. Si quis verò in Eccleſiâ ordinationē vel promotionem

Digitized by Google

taliter acquiſierit, acquiſitâ prorſus careat dignitate.

Alexander II. Si aliquis divinorum præceptorum & animarum ſalutis immemor beneficium Eccleſię iniquâ cupiditate ductus, vendere vel emere temerario auſu pręſumpſerit, ſicut in Calcedonenſi Concilio definitum eſt, gradus ſui periculo eum ſubjacere decernimus, nec miniſtrare poſſit Eccleſiæ, quam pecuniâ venalem fieri concupivit, & inſuper terribili anathematis mucrone perfoſſus (niſi reſipuerit) ab Eccleſiâ Dei, quam læſit, modis omnibus abſcindatur. *Ep. ad Cler. & Populum Lucenſem.*

Concilium Toletanum ſextum: Quicumque Simonis imitator, Simoniacæ quoque hæreſis extiterit ſectator, ut Eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hanc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat: talis inventus ſacrorum apices ordinum nullo modo adipiſci permittatur, ſed & ſi adeptus fuerit communione privatus, cum ordinatoribus ſuis propriorum bonorum amiſſione careat. *Cap. 4.*

Toletanum VIII. quicumque propter accipiendam Sacerdotii dignitatem quodlibet præmium fuerit detectus obtuliſſe, ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Chriſti corporis alienum, ex quo illum conſtat execrabile *Cap. 3.*

Digitized by Google

Chriſto perpetraſſe flagitium.

Cap. 7. Bracarenſe III. Quicumque pro conferendo cuiquam Sacerdotii gradu, aut munus quodcumque, aut promiſſiones muneris antequam ordinetur acceperit; vel etiam poſtquam ordinatus fuerit in aliquo; ſe pro hoc ipſo præſumpſerit munerari, ſive ille qui dederit, ſive qui acceperit, juxta ſententiam Calcedonenſis Concilii, gradus ſui periculum ſuſtinebit.

§. 2.

Sicut Simoniaci ſine ullâ miſericordiâ deponendi ſunt; ita per qualemcumque pœnitentiam nunquam reſtituendi.

QUoniam Deus neminem verè pœnitentem à miſericordiâ ſuâ repellit, ita Sancta Mater Eccleſia Simoniacos, quos excommunicationis anathemate perculit, ad pœnitentiam quidem recipit; ſi reſipuerint. Sed interim ab omni clericatus officio abjiciendos eſſe decernit, nec peractâ qualicumque pœnitentiâ unquam recuperare permittit.

Apud Ivon. par. 5. c. 79. Ita Nicolaus Junior præſidens Synodo Conſtantinopolitanæ ait: Erga Simoniacos nullam miſericordiam in dignitate ſervandâ habendam eſſe decernimus: ſed juxta Canonum ſanciones, & ſanctorum Patrum decreta, eos omninò

Digitized by Google

damnamus, ac deponendos eos Apoſtolicâ authoritate ſancimus.

Concilium item Romanum ſub Alexandro II. cùm multos edidiſſet Canones contra Simoniacos, nullam vult illis miſericordiam concedi. Sed ex ſolâ miſeratione conſervat ordinatos à Simoniacis, licet non ſimoniacè, ob ſolam neceſſitatem, vultque inde ſucceſſoribus occaſionem non dari eos admittendi in poſterùm. *An. 1061.*

In Synodo quoque ſeptimâ ſic habetur: Epiſcopum qui per pecuniam ordinatus eſt, cõfiteor quia per pœnitentiam recipitur, Deus enim bonus eſt in omnibus, & aperta viſcera ejus omni homini pœnitenti. Sed quoniam juxta Apoſtolum oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, quicumque per pecuniam vel ordinaverit aliquem vel ordinatus eſt, ab omni Sacerdotio alienus ſit. Taraſius Patriarcha dixit: quicumque per pecuniam vel ordinant, vel ordinaverunt, vel ordinati ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel quilibet de numero Sacerdotali, repellantur omninò à Sacerdotali honore, ſicut Simon Magus à Petro. *Supra cit.*

Denique Leo IV. Pontifex ita ſcribit ad Epiſcopos Britanniæ: Requiritis de his, qui turpiſſimo lucro columbas in Templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua acta improbâ temeritate Simonis hæreſi conjungentes, utrùm poſſint in ordine pœnitentiam agere, aut tantummodò extra ordinem &

Digitized by Google

Sacerdotalem fieri gradum. Quibus nos quidem conjunctis, & tam deteſtabile nefas (quod jam multis eſt damnatum Conciliis) peregiſſe noſcuntur, nullâ pœnitentiâ poſſumus ſubvenire, & tot ſpiritualibus Patribus obviare.

§. 3.

De obligatione dimittendi Beneficia quæ ſimoniacè accepta ſunt, eorumque fructus.

CUm proviſiones Simoniacæ ipſo jure tum divino tum humano ſint invalidæ & nullæ, ſacri Canones declarant eos qui ſimoniacè promoti fuerint, teneri Beneficia dimittere, & ad reſtitutionem fructuum inde perceptorum. Cathedras enim vendentium columbas Dominus evertit, inquit Beda, quia qui ſpiritualem gratiam venundant, vel ante homines, vel ante Dei oculos Sacerdotio privantur.

Ordinationes quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio, eâ intentione impenſo aliqui perſonæ, falſas eſſe dijudicamus, inquit Gregorius VII. quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium intrant, id eſt per Chriſtum; ſed ut ipſa veritas teſtatur, fures ſunt & latrones.

In decretis cap. 11.

An. 1095. cap. 1.

Concilium Placentinum ſub Urbano II. ea quæ

quæ ſancti Spiritus judicio à Sanctis Patribus de Simoniacis ſtatuta ſunt, nos quoque judicio eorum & Apoſtolicâ authoritate firmamus. Quidquid in ſacris Ordinibus vel Eccleſiaſticis rebus vel datâ vel promiſsâ pecuniâ acquiſitum eſt, nos irritum & nullas unquam vires obtinere cenſemus, &c. *Can. 22*

Gregorius Papa, ſi quis dator vel acceptor Dei Eccleſias vel Eccleſiaſtica Beneficia (quæ quidam præbendas vocant) ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Sed ſi perſeverans fuerit, perpetuâ mulctetur damnatione, nam qui ſub religionis obtentu Deo famulari voluerit, ſi quid accipit, & meritum perdit, & Beneficio accepto fruſtratur: Rationis ergo vigore cogitur, quod injuſtè receperit, reſtituere, & quidquid turpis lucri gratiâ receperat, non tenere. *Apud Gratian. 1. q. 3. c. ſi quis.*

Hujuſmodi quoque obligationem cum aliis pœnis luculenter expreſſit Martinus V. cum Concilio Conſtantienſi, ubi ita habetur: Multæ contra Simoniacam pravitatem ab olim factæ ſunt conſtitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cœtero, ut poſſumus, attentius providere; Sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati ſimoniacè ab executione ſuorum ordinum ſunt eo ipſo ſuſpenſi. Electiones autem, poſtulationes, confirmationes, & quævis proviſiones ſimoniacæ, Eccleſiarum *Citatur etiã in Conc. Friſing. ſub Eugen. IV. c. 20. tom. 13. concil.*

Digitized by Google

monaſteriorum, dignitatum, perſonarum, officiorum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, deinceps factæ, ſint ipſo jure nullæ, nullumque per eas jus cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut proviſi fructus faciant ſuos, ſed ad illorum reſtitutionem tanquam iniquè ablata percipientes teneantur. Statuentes inſuper, quod dantes & recipientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, etiamſi Pontificali aut Cardinalatus præfulgeant dignitate.

Sub Gregor. XIII. tom. 15. Concil. an. 1583.

Concilium Remenſe poſtquam præcepiſſet ſingulis diebus Dominicis denunciari Simoniacos eſſe excommunicatos, eo ipſo quod tales exiſtant. Beneficiis etiam adeptis privat, & ea ipſo facto vacare vult, eoſque ad alia obtinenda declarat incapaces. Præcipit item confeſſariis, ut de utroque peccato Simoniæ & confidentiæ diligenter inquirant, & cùm commiſſum audierint, abſolutionem excepto mortis articulo ad Summum Pontificem remittant. Tum ſubdit: concionatores moneant frequentiſſimè eos qui per Simoniam vel confidentiam beneficia captant, obligari ad integram reſtitutionem fructuum, quos ſuos facere nequeunt: nec priùs poſſe culpæ remiſſionem conſequi, quin Beneficio ceſſerint; denique ut noſcant omnes quinam utriuſque criminis rei habendi ſint, illi imprimis & propriè habeantur, prout ſunt, Simoniaci, qui beneficia, reſque ſpirituales pecuniis comparant

vel conferunt, vel certè rebus quæ pecuniis æſtimari queunt: nam eorum impudentiſſimum prætextum deteſtamur, qui de ſolo proventu reque temporariâ ſe paciſci dicunt, cùm ea ſpirituali tam arcto ſit annexa vinculo, ut non magis una ab alterâ divelli queat, quàm in hoc uno manente corpus à ſua animâ.

Paulus II. ita etiam decrevit: Cùm deteſtabile ſcelus Simoniacæ pravitatis tam divinorum quam ſacrorum Canonum authoritas abhorreat atque damnet: nos conſiderantes, quod plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere ſolet à voluntate peccandi, ac ſummis deſideriis affectantes, ut horum peſtiferum vitium non ex uſu ſolùm, ſed etiam ex mentibus hominum ſaltem propter pœnarum metum penitùs evellatur: prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, ac etiam omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, privationis & interdicti ſententias, cenſuras & pœnas contra Simoniacos latas:.......... & eorum quemlibet tam manifeſtum quàm occultum eas ipſo facto incurrere volumus, confirmantes & authoritate Apoſtolicâ innovantes declaramus, quod omnes illi qui ſimoniacè ordinati fuerint, à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi. Per electiones, poſtulationes, confirmationes, proviſiones & quaſvis alias diſpoſitiones, quas Simoniacâ contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant, in Eccleſiis Monaſteriis, *Extravag. cum deteſtabile. an. 1464.*

dignitatibus, perſonatibus, officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenùs acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium quæ percepit reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. Statuentes prætererea, ut qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiſerint, aut quod illa fiat mediatores extiterint ſeu procuraverint, ſententiam excommunicationis incurrant, à quâ niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti. Præcipit omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut omnes quos Simoniam commiſiſſe vel procuraſſe, aut in eâ mediatores eſſe ſciverint, denuntient; admittit ad hoc complices, quibus veniam promittit, &c.

In 7. decret. lib. 5. tit. 11. cap. 3.

Pius V. ex mente Concilii Tridentini ita etiam decrevit: Ut Simoniacæ pravitatis labes prorſus aboleatur, conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum contra Simoniacos editas, & præſertim Pauli II. inviolabiliter obſervari mandamus, & delinquentes tam in ſacrorum ordinum receptione, quàm in beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferiùs pœnis noſtrâ authoritate affici volumus.

Et infra. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acquiſiverit, illis ſit ipſo jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas & quaſcumque alias obtinendas. Qui beneficium aut officium

Digitized by Google

Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo jure privatus, & ad fructuum omnium quos perceperit reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea & quæcumque alia beneficia.

§. 4.

De pœnâ corporali, ac notâ infamiæ per Canones Simoniacis irrogatâ.

IDem Pius V. decrevit, ut quicumque deteſtabile crimen Simoniacæ pravitatis convictus fuerit in conſequendis ordinibus commiſiſſe, eo ipſo ſit ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur. Et infra. Si quis autem hoc crimen (in beneficiis ſimoniacè acquirendis) pluries commiſiſſe convictus fuerit, præter ſupradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus, à fidelium conſortio ejiciatur. *Ibidem.*

Synodus Toloſana ſic conformiter ſtatuit, *Sub Sixto V. an. 1590.* qui iteratæ ſæpiùs Simoniæ crimine evictus fuerit, is & dictis antea pœnis (videlicet privationis & inhabilitationis) ſubjaceat, & in corpore ſupplicium ferat, & degradatus ex Pii V. conſtitutione fidelium conſortio ejiciatur.

Cod. tit. de Epiſc. & Cler. c. 31. Tantùm ab ambitu debet eſſe ſepoſitus Antiſtes, inquit Leo Imperator, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat. Sola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi: Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi ſit ordinatus invitus. Cùm ſanè ſi quis hanc ſanctam & venerandam Antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe, aut ſi quis ut alterum ordinaret vel eligeret, aliquid accepiſſe detegitur, inſtar publici criminis & læſæ majeſtatis accuſatione propoſitâ à gradu ſacerdotii retrahatur: nec hoc ſolùm deinceps honore privari, ſed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus: ut eos, quos par facinus coinquinat & æquat, utroſque ſimilis pœna comitetur.

Propterea non ſolùm complices ſeu mediatores ad ejus criminis accuſationem & teſtificationẽ admittuntur, ſed etiam quilibet ſervi, criminoſi, & quomodolibet infames perſonæ, immò & in uno teſte ſufficientem eſſe ejus criminis accuſationem, ſacri Canones Patreſque aſſeverant.

An. 1100. Sic Legati Apoſtolici in Concilio Valentino & Pictavienſi reſpondent: In causâ Simoniæ nullum omninò quamquam infamem, quamquam ſubditam perſonam removeri ab accuſatione: Cùm Dominus Papa Gregorius VII. in Concilio Romano ad accuſationem cujuſdam Abbatis Simoniacum quendam depoſuerit Epiſcopum, eodem Abbate primò pro eâdem Simoniâ, cujus ipſe particeps &

conſentaneus fuerat depoſito, ſufficientem eſſe in uno accuſatore, aut uno teſte accuſationem.

Ita etiam Adeodatus Papa definit, tantam eſſe labem hujus criminis, ut etiam ſervi adverſus dominos, & quilibet criminoſi admittantur ad accuſationem. Item omnis peccator Miſſam cantare poteſt præter Simoniacum, quem quilibet (ut ab ordine malè accepto removeatur) accuſare poteſt, vel etiam meretrix. *Cap. tanta extra. de Simon.*

Habetur quoque inter decreta Gregorii IX. mediatores per quos ſcelus Simoniæ plerùmq; committitur ad teſtimonium contra ſceleris ejuſdem authores in deteſtationem criminis admiſſi, ſi non agatur criminaliter ſed civiliter, & emolumentum exindè non fuerint aſſecuti. *Tom. 11. Concil.*

Aut ſicut ait Innocentius III. modò accuſatio & teſtificatio ex malignitatis fonte proceſſiſſe non conſtet, ut conſpirationes & inimicitias capitales. Cœteras autem exceptiones, ut furti, adulterii propter immanitatem hæreſis Simoniacæ (ad cujus comparationem cœtera crimina quaſi pro nihilo reputantur) duximus repellendas. Ita ille. Qui etiam alibi ait: quod in crimine Simoniæ, ſicut in crimine læſæ majeſtatis, omnes indifferenter tam infames, quàm criminoſos, non ſolùm ad accuſandum, ſed etiam ad teſtificandum admittendi ſunt, cùm inſtar publici criminis & læſæ majeſtatis *Cap. per tuas extra. de Simonia.* *Cap. licet Heli. ibid.*

procedat accuſatio Simoniæ.

Sub Greg. XIII. anno 1583. c. 23.

Denique Concilium Burdigalenſe ſtatuit: Ut Parochi eorumque Vicarii ſingulis diebus Dominicis publicâ Proni denuntiatione unà cum ſortilegis, præſtigiatoribus, incantatoribus, veneficis, & aliis hujuſmodi hominibus publicè talium criminum ignominiâ notatis, Simoniacos, confidentiarios, & ſimiles penſionum exactores, ſacrilegos, excommunicatos denuntient.

Refertur 1. q. 7. c. ult.

Lib. 2. ep. 45

Quid quod ipſimet ſacri Canones invitant brachium ſæculare ad opprimendos Simoniacos. Ita Paſchalis Papa ait: Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus eſſe reſpuendos. Et ſi commoniti non reſipuerint ab exteris poteſtatibus opprimendos: omnia enim crimina ad comparationem Simoniacæ hæreſeos quaſi pro nihilo reputantur. Sic etiam Gregorius VII. hortatur Rodolphum Sueviæ Ducem, ut impediat per vim, ſi neceſſe ſit, Simoniacos miniſtrare. Si autem, inquit, contra vos aliqui quaſi iſtud officii veſtri non eſſet garrire incipiant, hoc illis reſpondete, ut veſtram & populi ſalutem non impedientes, de injunctâ vobis obedientiâ ad nos vobiſcum diſputaturi veniant.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De miraculis ad deteſtationem Simoniæ à Deo factis.

§. I.

Quomodò Monachi S. Joannis Gualberti propalaverint per ignem Simoniam Petri Papienſis Archiëpiſcopi Florentini.

SIcut Eccleſia operante intùs Spiritu ſancto Simoniacam pravitatem omnimodè detruncare ac convellere continuò ſtuduit: ita manifeſtis ſæpenumerò Deus conteſtatus eſt ſignis & portentis, quantùm Simoniacorum deteſtaretur improbitatem, dum illorum facta mirificè propalavit vel vindicavit. Eorum aliquot referemus, ut qui canonicis non moventur comminationibus pœniſque, divinis ſaltem percellantur judiciis.

Primò, famoſa eſt in Eccleſiaſticis monumentis Petri Papienſis Archiepiſcopi Florentini hiſtoria, qui cùm de Simoniâ à S. Joanne Gualberto frequenter redargutus fuiſſet: ipſius deindè Monachi Clerum ac populum graviter

Vide ep. populi Flor. ad Alex. Guill. Milaſneſiũ in vitâ S. Io. Gualb. apud Suriũ tom. 4

Abb. Vſperg. ann. 1080. & Baron. ad ann. 1063. tom. 11. Vide tom. 9. Conc. Prov. ſub Alex. ann. 1062.

commoverunt, quod omnem Eccleſiaſticam communionem Archiëpiſcopo exhibere detrectarent, quodque Concionibus ſuis ac conſiliis populum ab ejuſdem & Cleri communione diſtraherent. Immò Romam uſque crimen iſtud denuntiaturi progreſſi ſunt: ſed ibi repulſam paſſi, Curiâ iſtiuſmodi crimina ex neceſſitate quâdam diſſimulante, iterùm in propoſito perſtiterunt, atque inſuper veritatem igne ſe probaturos polliciti ſunt: quæ profectò jactantia in tantùm populum perculit, ut totus à Clero diffluerct.

Quare idem Clerus tædio affectus conſenſit, ut Monachi per ignem probarent Archiëpiſcopum ſuum eſſe Simoniacum; reque ita tranſactâ, præfigitur locus, diesque, ut qui velint poſſint coram intueri: locus fuit publica platea coram monaſterio Septimi, quod tunc erat Vallis Umbroſæ, nunc verò Ciſtertienſium. Dies fuit hebdomadæ primæ Quadrageſimæ feria quarta. Modus probationis fuit ejuſmodi, ut in eo loco publico duæ lignorum ſtrues juxta ſe fierent, in longum decem pedes ſingulæ, in latum quinque, in ſublime quatuor & dimidium: inter utraſque verò ſtrues ſemita intereſſet latitudinis unius brachii etiam prunis ardentibus conſtrata, per quam unus è monachis tranſiret.

Statuto die invitatur Petrus Archiëpiſcopus coram intuiturus tantæ probationis experimentum: at ille cum ſuis aſſeclis renuit. Plebs

Digitized by Google

verò utriuſque ſexus & maxima pars Cleri illuc properarunt. Fiunt itaque Litaniæ & aliæ preces in templo ejus Monaſterii, ſacrificiumque celebratur à Monacho ejuſdem inſtituti, Clericis & Monachis adjuvantibus; quo peracto ille qui Miſſam celebraverat (Petrus is quoque dicebatur) caſulâ depoſitâ profectus eſt ad rogum, qui accenſus ingentes flammarum vortices evomebat.

Interim unus ex Abbatibus aſtantibus ſponſionis conditionem omni populo clarâ voce exponit, his ferè verbis: Pro ſalute animarum veſtrarum teſte Deo hoc facimus, ut deinceps à Simoniacâ leprâ, quæ totum ferè ſordidat mundum, caveatis: hujus autem lepræ contagium tam magnum eſſe ſciatis, quod iſtius immanitati cœtera comparata ſunt quaſi nihil.

Monachus verò qui rogum ingreſſurus erat, prius ita precatus eſt: Domine Jeſu vera lux omnium in te credentium, peto miſericordiam tuam, oro clementiam tuam, ut ſi Petrus Ticinenſis qui dicitur Florentinus Epiſcopus pecuniâ Florentinam Sedem occupavit, tu æterni Patris Filius, tu mea ſalus in hoc tremendo judicio ad me adjuvandum feſtines, & me illæſum ſine ullis aduſtionis veſtigiis conſerves, ſicut olim tres pueros in fornace Babylonicâ ſervaſti.

His dictis per medios penetrat ignes, ardentes prunas calcando, quæ in viâ intermediâ ſtratæ

Digitized by Google

fuerant, ubi per aliquam moram flammis involutus hæſit: ac dein ſalvus & incolumis cum ſummo omnium ſtupore egreſſus eſt, neque corpori neque veſtimentis ullo aduſtionis veſtigio inhærente. Florentinus populus miraculum ad Pontificem reſcripſit, à quo ipſe Archiëpiſcopus depoſitus fuit: Monachus verò qui ignem ingreſſus fuerat in Collegium Cardinalium adoptatus, & Petrus igneus communiter fuit appellatus.

§. 2.

De duobus Simoniacis, quorum unus Spiritum ſanctum pronuntiare non potuit, alter mente amiſsâ vagabundus factus eſt.

De Antiq. geſtis Rom. Pontif. apud Baron. ad an. 1055. Vide tom. 9. Concil. ante Cõcil. Toloſ. an. 1056.

ALterum exemplum ſic refert Nicolaus Aragonius Cardinalis: Ingraveſcente per totum ferè Occidentem hęreſi Simoniacâ, cùm Victor II. Pontifex Hildebrandum Archidiaconum (qui poſtea factus Papa, Gregorius VII. appellatus eſt) ad partes ultramontanas, cum quibuſdam Epiſcopis ad eam comprimendam cum poteſtate legati à latere miſiſſet, coëgit ipſe Synodum Lugduni, ubi Archiëpiſcopus vir quidam litteratus & eloquens accuſatus eſt de crimine Simoniæ, qui ſequenti

nocte omnes ſuos accuſatores pecuniâ corrupit, & ſibi fecit amicos. Mane autem facto rediens ad Synodum audacter dixit, ubi ſunt qui me accuſant? exeat in publicum quicumque me voluerit damnare? tunc obmuteſcentibus cunctis, Hildebrandus ſe convertens ad illum dixit: crediſne ô Archiëpiſcope Spiritum ſanctum cum Patre & Filio unam eſſe ſubſtantiâ Deitatis? quo reſpondente, credo: addit Archidiaconus, dic Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto: tunc ille Gloria Patri & Filio expeditè dicebat, ſed Spiritum ſanctum nullatenùs proferre poterat; quem cum frequenter inchoaret & nihil proficeret, videns ſe per divinum judicium omninò confuſum, procidit ad pedes Archidiaconi, & confeſſus eſt proprio ore ſe Simoniacum eſſe. Poſtquam verò à Sacerdotali officio depoſitus fuit, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto clarâ voce decantavit. Quod factum in tantùm Simoniacos perterruit, quod præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadraginta quinque, Simoniacos ſe eſſe confeſſi ſunt, & ſuis honoribus abſque aliâ accuſatione renuntiarunt.

Aliud affert Baronius ex Deſiderio Abbate Caſſinenſi: quidam Galliarum Epiſcopus à Leone IX. Pontifice ſuſpenſus fuerat: cùm quidam ejus Presbyter Gibertus nomine, facundus ſermone, ei promiſit Romam ire, atque cavillationibus Pontificem decipere, & reſtitutionem procurare. Sic acceptâ pecuniâ Romã *Ad annum 1049.*

Digitized by Google

venit, & ibi callidis verbis ſuum Epiſcopum excuſare conatus eſt, ſed cùm nihil proficeret, ne videretur effectu fruſtratus, rogavit Apoſtolicæ Sedis Cancellarium, & ei oblatâ pecuniâ perſuaſit, ut ſibi furtivas litteras Apoſtolico ſigillo ſignatas ad Epiſcopum ſuum deferendas tribueret, quæ & Epiſcopale officium & gratiam Sedis Apoſtolicæ, ſibi redditam ſignificarent. Quæ res Leonem minimè latuit, moxque Presbyterum illum advocans, acceptâ quam obtulerat pecuniâ, eique in ſinum mittens dixit, pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia donum Dei furtim tentaſti pecuniis poſſidere; cujus ſermonem divina ultio mox ſecuta eſt, ita ut amiſsâ mente ab illâ die uſque nunc, ubique vagabundus incedat, nec ulla domus vel clauſtra ultra duos vel tres dies eum valeant retinere.

§ 3.

De tribus aliis Simoniacis, quorum unus gravi morbo vexatus, alter repentinâ morte mulctatus, tertius de ſepulturâ Eccleſiaſticâ ejectus fuit.

Wilhē. Mamesbur. lib. 2. de geſt. reg Angl. c. 12.

DE Henrico II. Imperatore ſcribunt Hiſtorici ejus temporis, quod ille tempore Conradi Patris à quodam Clerico fiſtulam

tulerat argenteam, quâ pueri ludo aquam jaculantur, pactus Epiſcopatum cùm foret Imperator. Adultus repetenti poſtulatum impigrè dederat. Nec multò poſt aſperâ valetudine correptus diſcubuit: morbo creſcente triduo exſenſus & mutus jacuit, cùm in ſolo pectore vitalis halitus palpitaret, nec aliud vitæ indicium erat, quàm quod manu ad nares appoſitâ quantuluſcumque ſentiebatur anhelitus. Epiſcopi præſentes triduano indicto jejunio lachrimis & votis pro vitâ Regis ſuperos pulſabant, quibus, (ut credi fas eſt) remediis convaleſcens, accitum Epiſcopum quem injuſtè fecerat, ſententiâ Concilii depoſuit, profeſſus ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe flammam in ſe per fiſtulam jaculantes. *Matth. Weſtmonaſt. Baron. ad an. 1047.*

Aliud etiam profert exemplum Joannes Tritemius. Henricus Imperator à S. Willelmo Abbate Hirſangienſi reprehenſus, quod dignitates ſpirituales venderet, & quod proindè hæreticus eſſet: in publico Principum ſuorum conventu præcepit Hirſangiam funditùs deſtrui, & bona Monaſterii militibus diſtribui. Wernerus Epiſcopus conſtitutus per Simoniam ad Eccleſiam Argentinenſem tãquam obſequium præſtiturus Regi, promittit militibus prædam ingentem de ſpoliis Monachorum: ſed milites deteſtati ſunt facinus. Tum inſanus Pontifex dixit: Ego vos ô milites fortiſſimi in hoc obſequium Regis veſtri juſtiſſimi præcedam, & quicumque veſtrûm me ſecutus non *In Chron. Monaſter. Hirſangien.*

fuerit, reus læſæ majeſtatis erit. His dictis loricam induit; & equum plenus minarum in Monachos aſcendit, ſubitòque clamans & ululans horribiliter cecidit, & morte ſubitaneâ præcipitatus, cunctis videntibus expiravit. Cœteri indè territi nihil auſi ſunt contra Monachos.

Strom. 11. *cap.* 19.

Denique ut varias ſimiles hiſtorias prætermittam, unam propono ex Nierembergio, de Joanne quodam Tellez cognomine, qui pecuniis Oxomenſem ſedem compararat, is mortuus juxta Petrum Oxomenſem Epiſcopum ſepultus eſt. Sequenti nocte ędituus hac viſione monitus fuit: orando vidit Petrum ęjus deceſſorem è ſepulchro exire, deindè ad ſepulchrum duorum aliorum Beltranis & Stephani ejuſdem Eccleſiæ quondam Epiſcoporum progredi. Hi tres ad ſepulchrum Simoniaci pergunt. Ibi tres illi baculis terram pulſantes clamant, exi foras quia indignus es hoc loco. Simoniacus ululantis inſtar reſpondebat, ſe exiturum. Dein ad tertiam advocationem prodiit tæter, horridus & deformis, nec ſanctorum Epiſcoporum ferens pręſentiam, ejulans & vociferans per Eccleſiæ januam elabitur. In profugientem Stephanus jaculatus candelabrum, illud infixit in portam Capiſcoliam dictam, quod ſervatur ſimul cum altero candelabro Beltranis in Oxomenſi Eccleſiâ: ſuas dehinc tres Epiſcopi ſepulturas repetivêre. Inter hæc in totâ Civitate, præſertim in domibus, ubi cognatio habitabat Simoniaci, hæc vox reſonabat, hinc me extrahite

Digitized by Google

extrahite. Poſterâ die cùm per æditui teſtimonium & ſacerdotio & populo conſtitiſſet divina voluntas, ſuâ Simoniacum ſepulturâ extraxêre.

CAPUT SEXTUM.

De variis artibus, quibus Simoniaci ad velandam turpitudinis ſuæ infamiam olim uſi fuêre.

§. 1.

Durum eſt cor Simoniacorum & ad converſionem inflexibile, qui etiam dum confunduntur, ad fraudes ſe ipſos convertunt.

EA quæ in ſuperioribus relata fuêre pluribus prodeſſe poſſunt ad emendationem, ſi quo tamen modo emendari queant, quibus cor ſic obduruit, ut nec turpitudinem exhorreant, nec de ignavâ ac diſſolutâ vitâ confundantur, nec de comminationibus, pœnis, ac de iis ipſis quæ Deus in manu forti & brachio extento operatur experimentis exterreantur. Impudentia & *Deut. 5.*

Digitized by Google

In declam. frontoſitas, inquit S. Bernardus, cùm obduruerit, ut non paveat, non horreat, non contremiſcat, ea jam demùm deſperatio eſt.

Eccli. 3. De hujuſmodi utiq; duro corde ait Sapiens, quod habebit malè in die noviſſimo: quod videlicet tale eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec precibus movetur, minis non cedit, flagellis induratur: quod eſt ad conſilia infidum, impavidum ad pericula, temerarium ad divina; uno verbo quod nec Deum timet, nec hominem veretur. Solum eſt cor durum, inquit S. Bernardus, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. Nemo duri cordis unquam ſalutem adeptus eſt, niſi quem fortè miſerans Deus abſtulit ab eo cor lapideum.

S. Bernard. lib. 1. de conſid. cap. 2.

Talia plerumque efficit hominum corda virus Simoniacum, ut propterea Patres dixerint, facilius poſſe Judæum ad fidem converti, quàm quod Simoniacus latro plenè ad pœnitentiam provocetur. Illud eſt quod non recipit diſciplinam, curari renuit, medelam non ſuſtinet: Ulcus ſanè peſſimum, quod nec ſummis ſaltem digitis patitur attrectari. Hujus & ipſe, ait ſanctus Bernardus, divinam indignationem vereor ſuper his & grave judicium.

Pet. Damid. ſupra cit.

S. Bernard. in declam.

Ita nimirùm excœcat hominum mentes nè lucem videant, obturat aures inſtar aſpidis ſurdæ nè veritatem audiant, inſipientes reddit voluntates nè bonum ſapiant. Cœco autem lumen, ſurdo ſermonem, ſapientiam bruto offerre labor irritus, ait S. Cyprianus. Aut ſicut dicit

Cont. Demetr.

Digitized by Google

S. Bernardus, cum iis qui cùm inferno inicre foedus, ut odientes bonum adhæreant malo, parati ſint gratis conſentire peccato, quoniam Deo & mundo execrabiles eſſe conſtat, melius eſt ſilere quàm loqui. *In declam.*

Coërceri videlicet nequit animus pravâ ſemel voluntate aut cupiditate vitiatus; quia zelus ſapere neſcit, & ita conſilium non habet: ideò Herodes, inquit S. Chryſoſtomus, non ſuo conſilio gubernabatur; ſed vinculo diaboli trahebatur. Sic & Simoniaci quanquam continuis Canonum Eccleſiaſticorum fulminibus percellerentur, aut divinis portentis abſterrerentur: nunquam tamen à propoſito dimoveri potuerunt, Eccleſiæ penetralia pretio, vi, aut dolo pertentandi. *S. Chryſoſt. ad cap. 2. Matth.*

Cùm verò nefaria ſua commercia exercere ſaltem in propatulo prohiberentur, ad fraudes & variarum excuſationum prætextus inveniendos animum adjecerunt: nec ſanè ullâ magis in causâ ſuas fingendi artes dæmon exercuiſſe videtur quàm in Simoniacâ pravitate palliandâ. Non ſine gravi dolore dicendum eſt, inquit Concilium Toletanum undecimum, quantò hæc frequenti decretorum eſt præceptione prohibita, tantò à nobis fraudibus cognoſcitur iterata. Et aliud præcedens: In eâ videmus per aſtuatim Satanæ ad tanta fraudum ſtudia convaleſcentem excreviſſe perniciem, ut & primæva Patrum conſtitutio à vanis Doctoribus æſtimetur illudi, & nova putetur judicum intentio pelli. *Cap. 9.* *Tolet. 10 cap. 4.*

Digitized by Google

Lambert. Schafnabur. in Henric. Imperat.

Quinimmò ut cauſam ſuam quoquo modò veris non poterant, ſophiſticis ſaltem allegationibus roborarent: Philoſophorum undequaque conventicula conſciverunt, quorum tanta vis erat ad excuſandas excuſationes in peccatis, ait Petrus Damiani, ut inter cœtera mala etiam Simoniacæ hæreſeos non modò defenſores, ſed viderentur potiùs aſſertores: Hanc utique non ceſſabant diſſeminare doctrinam, hanc Catholicam atque Canonicam fatebantur eſſe ſententiam.

Lib. de contempt. ſaculi cap. 30.

Idem ep. ad Alex. 2.

Incorrigibilem Simoniacorum proterviam nobis repræſentavit ficus à Domino arefacta ſtatim atque vendentes & ementes de templo ejecerat, ſicut Beda teſtatur dicens, quod maledicendo ficum infructuoſam per figurã Dominus fecit, hoc idem mox apertiùs oſtendit ejiciendo improbos de templo; ficus enim non peccavit ſi ante tempus fructum non habuit, ſed ſacerdotes. Undè dicitur cœpit ejicere vendentes & ementes de templo: à radicibus autem arefacta eſt ficus, ut oſtenderetur gens impia, non ad tempus, vel ex parte corripienda externorum incurſibus, & per pœnitentiam liberanda, ſicut ſœpè factum eſt, ſed æterna damnatione feriendâ. Vel arefacta eſt à radicibus, ut oſtendatur non ſolùm humano extrinſecùs, ſed divino intùs favore funditùs deſtituenda, nam & vitam perdit in cœlis & patriam in terris.

Digitized by Google

§. 2.

De prætextu Conſuetudinis, quam Simoniaci inaniter allegarunt.

PRima excuſationum Simoniacæ pravitatis fuit prætextus conſuetudinis, quæ in privilegiorum jus, ſicut ait Nicolaus Papa, ab improbis aſſumitur, ut incipiant prævaricationes celeberrimæ non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari. Ita videlicet, inquit Seneca, inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nolumus imitari: cùm plures cœperunt facere, quaſi honeſtius ſit, quia frequentius ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt. *ep. ad Hincmar. Remeſ.*

Hujuſmodi utique conſuetudinem, Simoniaci tanquam ſecuram & ineluctabilem regulam amplexabantur, quoniam quod erat ferè omnibus conſentaneum, inquit Petrus Damiani, pro regulâ tenebatur tanquam legali ſanctione decretum. Cùmque à viris Eccleſiaſticis redarguerentur, quod Canonum præſcripta violarent, authoritate ſuæ conſuetudinis ſeſe tuebantur. Si ratione vel authoritate niteris, ait Saliſburienſis, conſuetudinem *Ep. ad Henric. Raven. cap. 27.* *Lib. 7. polycr. cap. 19.*

quâ abutuntur, & quam ipſi fecerunt, objicient.

In Concil. Roman. Et Alexander III. Putant plures ex hoc ſibi iſta licere, quia legem mortis de longâ invaluiſſe conſuetudine arbitrantur, non ſatis (quia cupiditate cæcati ſunt) attendentes, quod tantò graviora ſint crimina, quantò diutiùs animam infœlicem tenuerint alligatam. Sic & Innocentius III. ait: Ad cumulum damnationis majoris, quidam turpitudinem & pravitatem hujuſmodi nituntur defendere per conſuetudinem longo tempore obſervatam. *In Conc. gener. can. 63.*

Hinc eſt quod S. Romualdum illos ſeverè corripientem occidere moliti fuêre, quod rem novam audire ſibi viderentur: per totam namque illam Monarchiam, ait Petrus Damiani, uſque ad Romualdi tempora vulgatâ conſuetudine vix quiſquam noverat Simoniacam hæreſim eſſe peccatum. Adeò ſanè grave malum eſt conſuetudo, ut quamvis magna & horrenda peccata, dum in conſuetudinem venerint, aut parva eſſe aut nulla credantur: eaque conſummata eſt infælicitas, inquit Seneca, ubi quæ fuerant vitia mores fiunt. *In vitâ S. Romualdi cap. 35.* *S. Auguſt. l. 7. confeſſ.* *Epiſt. 28.*

Verùm quoniam conſtans eſt & certa doctrina, quod conſuetudo non præjudicet juri naturali vel divino, quo Simonia prohibetur, inquit S. Thomas. Si qui fortè rudiores eam denuò allegaverint, admonendi ſunt, vivendi formam à conniventium ſimilitudine nequaquam trahi, ſed à verbo Dei, in cujus viâ beati *2. 2. q. 100. art. 2. ad 4.* *Salesburien. 7. polycrat. cap. 19.*

Digitized by Google

ambulant. Nec enim quod à multis peccatur, quicquam peccatum non eſt, ſed ideò gravius quia multùm: quippe delinquentis culpam prægravat multitudo, dum viribus ſuis ne corrigatur obſtat.

Ne autem adverſus juſtitiam Dei ambitioſorum multitudo prævaleat, non modò divina, ſed & humana jura armantur: lex & Prophetæ, Evangelium, & omnes regulæ Patrum illorum deteſtantur audaciam, dum paſſim ingerunt, donum Dei pecuniâ non poſſideri, gratiam gratis eſſe dandam, &c. *Idem ibid.*

Propterea ſex Epiſcopi Aſiani accuſati in Synodo Conſtantinopolitanâ, quod ordinationes ab Antonino Epheſino per pecuniam accepiſſent, licet excuſationem afferrent, dicentes, dedimus hanc eſſe conſuetudinem exiſtimantes, ut videremur à curiâ liberari: nihilominus à S. Joan. Chryſoſtomo ei Synodo præſidente, ab omni Eccleſiaſticâ dignitate abdicati fuêre.

Digitized by Google

§. 3.

Sub obtentu eleëmoſynæ faciendæ aliqui pecuniam accipiebant, quod Patres ex dictamine legis divinæ reprobarunt.

ALius palliandi Simoniam modus fuit applicatio pecuniæ pro beneficio acceptę in eleëmoſynam aut alios uſus pios: ſic enim conferens beneficium non moveri ab avaritiâ, aut accipiens pio quodam modo beneficium acceptum compenſare videbantur.

Lib. 2. Reg. indict. 2. epiſt. 112.

Adverſarius animarum, inquit S. Gregorius, dum non poteſt in his quæ ad faciem ſunt prava ſurrepere, callidè ſpecie quaſi pietatis injectâ nititur ſupplantare, ſuadetque forſitan ab habentibus debere accipi, ut ſit quod poſſit non habentibus erogari: dummodò vel ſic venena mortifera eleëmoſynæ cælata obumbratione transfundat.

Verùm hic etiam prætextus ſat apparet inſufficiens & futilis ad excuſandam pravitatem Simoniacam: Cùm enim non ſint facienda mala ut eveniant bona, & omnis pactio in ſpiritualibus, commutatioque cum rebus temporalibus ſit intrinſecè mala, non poteſt illa excuſari per intentionem boni finis, qualis eſt eleëmoſyna.

Digitized by Google

Et ideò ſubdit S. Gregorius. Neque enim eleëmoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, gravatur potius quàm juvetur, juxta illud Scripturæ, Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata. Et poſt, etiam illud certum eſt, quod etſi Monaſteria vel Xenodochia, vel quid aliud de pecuniâ, quæ pro ſacris ordinibus datur, conſtruantur, mercedi non proficiat. Ne ergo ſub obtentu eleëmoſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, apertè ſacra Scriptura nos prohibet, dicens, Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere. Quidquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam ſed irritat. Hinc rurſus ſcriptum eſt, honora Dominum de tuis juſtis laboribus. Qui ergo malè tollit, ut quaſi benè præbeat, conſtat ſine dubio, quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur, qui offert ſacrificium de ſubſtantiâ pauperum, quaſi victimat filium in conſpectu patris: quantus autem dolor patris ſit perpendamus, ſi in ejus conſpectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoſcimus, quantùm apud Deum dolor exaſperatur, quandò ei ſacrificium ex rapinâ tribuitur. Unde ita concludit: Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi fratres, ſub obtentu eleëmoſynæ peccata ſimoniacæ hæreſeos perpetrare. Nam aliud eſt propter peccata eleë-

Gratian. cit. lib. 7. ep. 100

Eccleſ. 34.

Proverb. 22

Ibid. 3.

Eccleſ. 34.

moſynas facere, aliud propter eleëmoſynas peccata committere.

Epiſt. ad Clerum Lucenſem. Similiter Alexander II. ait: Conſtituimus & eodem modo firmamus, ut nullus cujuſcumque gradus Clericus pro Eccleſiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Eccleſiarum, vel donariis Eccleſiarum, ſeu etiam quod pauperibus ſit tribuendum, quia teſte Scripturâ (verba ſunt S. Gregorii) qui aliquid malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, potius gravatur quàm juvatur.

In epiſt. aliquâ. Ac denique S. Hieronymus, ſæpè ſiniſtra principia ad fælicem perveniunt exitum: Ut Jacob per ſupplantationem pervenit ad benedictionem, ut fruges quæ leproſâ manu ſeritur, mundâ tamen metitur; ut ex adultero concubitu pulchra ſoboles naſcitur; ſic & pecunia, quæ per Simoniam acquiritur, fælicem exitum habet cum pauperibus profutura erogatur, ſed nihil horum Simoniacis patrocinatur.

§. 4.

Quomodò Simoniaci profiterentur ſe tantùm emere jus percipiendi fructus, quod temporarium quiddam eſt: eo tamen non obſtante Simoniam juris divini committunt.

TErtius ad Simoniam devitandam prætextus fuit ſubtilis quædam diſtinctio inter

jus miniſtrandi in Eccleſiâ, quod ſpirituale eſt, & jus percipiendi fructus, quod temporalis rei naturam habet. Eâ autem diſtinctione factâ Simoniaci docebant, poſſe emi fundum à Principe, ſeu à quovis alio collatore patrono, &c. non conſecrationem ab Epiſcopo. Venalia ſiquidem ſunt iſta, inquiebant, unde ſint divites, gratis accipiunt unde fieri debeant ſacerdotes: nec emitur ſacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Et S. Abbo Floriacenſis ait: hujuſmodi emptores quaſdam velut telas aranearum texunt, quibus ſe defendunt, quod non benedictionem, ſed res Eccleſiæ poſſeſſuri emunt.

Vide Pet. Damian. ep. ad Alex. II. Papam.

In actis ſuis cap. 10.

Hallucinationem hanc, primi videntur propoſuiſſe ante quingentos annos Florentini quidam Juriſconſulti, ac plures Theologi; inter quos Tudetchinus & Joan. Venetus, ambo Capellani Ducis Lotaringiæ, Petro Damiani obſtinatiſſimè reſtiterunt, ſicut ipſe teſtatur. *Epiſt. cit.*

In tantùm verò avidos bonorum Eccleſiæ ſpecie ſuâ ubique dementavit, ut omnia miniſteria Eccleſiaſtica haberentur venalia, quaſi in foro ſæcularia mercimonia, inquit Baronius, immò & pluribus ſæculis incaſſum obſtrepentibus viris piis ac doctis, pertinaci perſuaſione perduravit, prout videre eſt apud varios Hiſtoricos ad ſæculum undecimum & ſequentia.

Ad an. 1047.

Certè de noſtrâ Diœceſi legimus, quod Radulphus Epiſcopus palam ac in medio foro

Vide Chappeaville & Barth. Fiſen.

Digitized by Google

in hiſt. Leod. ad an. 1179. rerum venalium ſacrilegum ſuum mercatum conſtituerat, ubi perditiſſimus quidam ſenex Udelinus nomine, officio lanius ſedebat, impietatis miniſter, & nefariâ auctione ſacra beneficia vendebat.

3. Eſdra. c. 4 Verùm prævalente tandem (ſicut ſolet) contra errorem veritate: Veritas enim bonum ſtabile & ſempiternum; error iſte compreſſus, extinctusque fuiſſe videtur: præſertim poſtquam variæ Pontificum declarationes conſtanter orbi innotuêre, quibus ipſi docebant, quod quiſquis eorum alterum vendiderit, ſine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquat.

Apud Gratian. 1. q. 3. cap. ſi quis. Si quis objecerit, inquit Paſchalis Papa, non conſecrationes emi, ſed res ipſas quæ ex conſecratione proveniunt, penitùs deſipere probatur. Nam cùm corporalis Eccleſia, aut Epiſcopus, aut Abbas, aut tale aliquid ſine rebus corporalibus in nullo proficiat; ſicut nec anima ſine corpore corporaliter vivit: quiſquis horum alterum vendit ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat Eccleſiam, vel præbendam, vel aliquid Eccleſiaſticum; nec paſtellum, nec paſtum antea vel poſtea pro hujuſmodi ſolvat.

Ibid. c. ſeq. Hunc Canonem confirmat Urbanus II. dicens: Sed & beatus Prædeceſſor noſter Paſchalis de conſecratione affirmat, quod quiſquis eorum alterum vendiderit, ſine quo alterum

non provenit, neutrum invenditum derelinquit: ac per hoc eum qui rem Eccleſiæ vendit, vel emit, Simoniacum eſſe intelligitur: Ut potè quia officium & proventus in eodem beneficio ſic conjuncta ſunt, ſicut corpus & anima in eodem homine, inquit etiam Abbo Floriacenſis. *Vide Concil. Turon. can. 15. an. 815*

Porrò iſti Simoniacorum hallucinationi materiam occaſionemque præbuit innovatio, quæ in ordinatione miniſtorum Eccleſiæ ſine titulo facta eſt: cùm enim antiquitus vetaretur ordinationes fieri ſine titulo, certum erat miniſterium cujuſque ſivè Presbyteri, ſivè Diaconi, &c. & cuique locus certus aſſignabatur, cui velut mancipatus & adſtrictus erat. *Duarenus l. 1. de Eccl. miniſt. c. 16*

Ita Concilium Calcedonenſe decrevit, neminem abſolutè ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemlibet in Eccleſiaſticâ ordinatione conſtitutũ, niſi manifeſtè in Eccleſiâ Civitatis, ſive ſuæ poſſeſſionis, aut in Martyrio, aut in Monaſterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eos autem qui abſolutè ordinantur decrevit Sancta Synodus vacuam habere manus impoſitionem, & nullum tale factum valere (nos interpretamur ſuſpenſionem ab ordinis executione) ad injuriam ipſius qui eũ ordinavit. Sic & Urbanus II. in Concilio habito Placentiæ ait, Sanctorum Canonum ſtatutis conſonâ ſanctione decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur, & in quâ Eccleſiâ quilibet intitulatus eſt, *Apud Grat. diſt. 7. can. neminem.*

Digitized by Google

in eâ perpetuò perſeveret.

Cùm autem reditus aliquis cum miniſterio conjunctus eſſet, jus illum percipiendi ſimul cum ordinatione ad miniſterium conferebatur, non aliter ac cùm Princeps Magiſtratum creat, inquit Duarenus, annonas & ſtipendia illi Magiſtratui attributa concedere eâdem operâ intelligitur. Undè apud veteres Canones nomen beneficii aut collationis & ſimilium terminorum nunquam reperiuntur, ſed novo jure introducti fuêre. Econtra verò nomina Sacerdotii, miniſterii, ordinis, gradus, ordinationis & his ſimilia, quæ in deſuetudinem abiєrunt, paſſim uſurpabantur. Ex quo etiam natæ ſunt illæ theſes, ait Duarenus, apud Gloſſatores Juris Canonici, jus novum cum veteri comparantes. Qui poteſt ordinare poteſt beneficium conferre; qui poteſt ordinari, poteſt beneficium capere: & ècontra, qui non poteſt ordinare, non poteſt beneficium conferre; qui non poteſt ordinari, non poteſt beneficium capere.

Cit. lib. 2. cap. 3. citat. Gloſſ. c. ſi eo tempore de reſcript. in 6 gloſſ. c. de his 28. diſt. 28.

Itaque poſteaquam cœptum eſt illa ſeparatim conferri, vel ordinatio ſine titulo, vel titulus ſine actuali ordinatione, ſed tantùm titulus cum debito ordinationis accipiendæ, ut injunctum officium implere quiſpiam valeret: nullus ferè ordinationem affectare ſtuduit, ſed potiùs titulum, ex quo proventus ſequebatur. In eodem verò titulo, quia duo adhuc diſtincta videbantur, jus videlicet, ſeu debitum mini-

Digitized by Google

ſtrandi, & jus percipiendi fructus, quæſtus eſt habita ratio magis, quàm muneris atque officii: ideoque unà cum moribus hominum mutata eſt loquendi ratio: quæ enim miniſteria ab officio olim vocabantur, nũc vel beneficia à reditibus (quæ utinam inquit Duarenus veneficia pleriſq; hodie non ſint) vel prębendę à diſtributione quotidianâ dicta fuêre. (Sed veriùs emendæ vocitarentur ab emptione, ut ait Ægidius Aureæ Vallis.) Ordine ſanè præpoſtero, quod enim primarium ac præcipuum meritò habebatur quondam, id nunc acceſſionis cujuſdam locum vix obtinet: quâ in re tanta eſt indignitas, uti ſubdit idem Duarenus, ut eam diſſimulare nemo bonus poſſit. Nam ſi Plinius ſuo tempore conqueſtus eſt, ex gemmis confici vaſa, in quibus aurum acceſſio eſſet, cùm gemmæ vaſis aureis accedere ſoleant, quantò juſtior hâc de re futura eſt bonorum virorum querela.

Ibid.

apud Chappeaville hiſt Leod. tom. 2 cap. 40.

Hinc eſt quod Simoniaci nullam ipſius ordinationis quæ ſeparata videbatur, aut adminiſtrationis quæ acceſſoria dicebatur, curam habentes: ſed potiùs proventuum quos per modum beneficii colligere intendebant, (beneficia quippè dicta ſunt prædia vel poſſeſſiones, quæ olim militibus tribuebantur, ut hoc beneficio devincti animoſiores ad Rempublicam tutandam redderentur ait Duarenus, undè & milites beneficiarii apud Cæſarem in Commentariis, & apud alios authores vocati fuêre)

Ibid.

prætexebant ſe tantùm emere temporalia; gratiam verò ordinationis nequaquam, ſicut nec ipſam adminiſtrationem, quæ tantùm accedere videbatur; ſicut jus patronatus accedit dominio cuidam temporario.

Propterea ſummoperè admirabantur, quod idcircò dicerentur reprehenſibiles: Quomodò hoc eſſe poteſt, inquiunt apud Hugonem de S. Victore, ego in Eccleſiâ victum & veſtitum emi, Eccleſiam non emi; corporalia tantùm emi, Eccleſiam non emi: ſtipem emi, præbendam emi, corporalia tantùm emi, ſpiritualia nihil emi aut emere volui. Quibus ille reſpondet: Dic ergò mihi, quis nomen tuum inter nomina fratrum aſcripſit? quis tibi in Choro, in Capitulo locum aſſignavit? ſi hæc non emiſti, undè hæc habes? quis tibi hæc dedit? ſed hæc inquit gratis accepi, cœtera emi, hæc gratis data ſunt. Benè dicis, ovem emiſti & lanam non emiſti, ſed gratis accepiſti: tamen ſi ovem non emiſſes lanam non habuiſſes, pro arbore pretium dediſti, ut fructũ ejus gratis manducares. Satis aſtutè ingredi exiſtimaſti commento ridiculo. Vide ergò quomodò non emeris, quod non habuiſſes, ſi pretium nõ dediſſes, aut te hoc pariter emiſſe confitere, aut ſi non emiſti, noli tollere quod tuum non eſt.

lib. 2. de Sacram. part. 10. cap. 4.

Argumentatio hæc procedit ex eo quod beneficium & officium re ipsâ ita ſunt conjuncta, ut unum ab altero per mentem ſecerni nequeat: Quiſquis enim, ſubdit idem Author, alterum

alterum vendere aut emere cognoſcitur, neutrum invenditum aut inemptum reliquiſſe comprobatur. Eſtque prima ratio per quam Patres cavillationem Simoniacorum redarguebant: ex hujuſmodi quippe conjunctione bona Eccleſiaſtica quodammodò conſecrantur Deoque dicantur, atque ita ſanctificantur; ut pretio æſtimari vendique nequeant. Tunc conſecrationem evidentiſſimè coëmiſti, inquit Petrus Damiani, cùm id propter quod ad conſecrationem promovendus eras venaliter accepiſti. Bona enim Eccleſiaſtica ſunt quodammodò conſecrata; & ex Bonifacio Papa, homo, animal, ager, ſi fuerit conſecratum, ſanctum erit Domino, & ad ejus pertinet ſacerdotem: ideò qui ea aufert eſt ſacrilegus. Hæc ille. *Apud Baron. ad an. 1061*

Sic & Urbanus II. ſuper hoc conſultus, utrùm bona Eccleſiaſtica (videlicet beneficia) vendere liceret. Reſpondet negativè, quia dona Dei ſunt, quatenùs Deo à fidelibus oblata ſunt, & eadem fidelibus gratis ipſe largitur: Innotuiſti nobis, inquit, quod tibi objicitur, utrùm vendere Eccleſiaſticam rem Simoniacum ſit? Et reſpondet, Hoc Simoniacum eſſe patenter colligitur ex hoc quod Beatus Apoſtolus Petrus ait Simoni: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia exiſtimaſti donum Dei pecuniâ poſſideri. Donum quippe Dei eſt Spiritus ſanctus, & donum Dei eſt res ipſi Eccleſiæ oblata. Unde concludit, Quiſquis igitur res Eccleſiaſticas (quæ dona Dei ſunt, quo- *Apud Grat. 1. q. 3. cap. Salvator.*

niam à Deo fidelibus, & à fidelibus Deo donantur; quæ ab eodem gratis accipiuntur, & ideò gratis dari debent) propter ſua lucra vendit vel emit, cum eodem Simone donum Dei poſſideri pecuniâ exiſtimat.

Altera ratio, quam Patres Simoniacis oppoſuerunt, eſt, quod licet ordinatio, per quam ſpiritualis gratia donatur, videretur ſeparari à collatione beneficii Eccleſiaſtici, cùm tamen hujuſmodi collatio fieret, ad miniſterium in Eccleſiâ exercendum, (quod ſine ordine ſuſcepto omninò adimpleri non poteſt) pecunia omnis, quæ pro collatione beneficii dabatur, conſequenter etiam & in effectu pro ipsâ ordinatione tribuebatur. Cùm aliquid ſub venalitate ſuſcipitur, inquit Petrus Damiani, & illud proculdubiò comparatur, quod ex neceſſitate ſubſequitur, ad hoc enim Paſtoralis Eccleſia cuique committitur, ut ad ejus regimen obtinendum conſecratione firmetur, & ad hoc ſine dubio collatæ pecuniæ commercium ſpectat, ad quod is qui eſt promovendus aſpirat. Hinc eſt planè quod non ſolùm qui majoribus præferuntur Eccleſiis, ſed & illis quoque qui vel plebes agrorum vel canonicales præbendas per interventum pecunię peſtilenter accipiunt, Simoniacæ hæreſeos tendiculas non evadunt. Per id enim quod venaliter aſſequuntur, ad ſacrorum graduum ordines tendunt, & tunc jam deſtinantur ad ordines cùm illa ſuſcipiunt; per quæ ſcilicet ad obtinenda ſacrorum gra-

Lib. 3. epiſt. 13.

Digitized by Google

duum incrementa pertingunt: initiatur enim ad dignitatis ordinem, qui ad obtinendam ordinis conſtituitur dignitatem.

Eodem modo Urbanus II. Papa declarat ex ſancto Auguſtino, eum vendere aut emere quantùm in ſe eſt Spiritum ſanctum, qui beneficia aut præbendas vendit vel emit. Quod verò Spiritum ſanctum quantùm in ſe eſt vendat vel emat, qui præpoſituram vel aliquid hujuſmodi vendit vel emit, inquit, audi Auguſtinum ſuper Joannem, ô quot præpoſituras fecerunt, alterum præpoſitum habet Cartagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritaniâ Rogatus, alterum habent in Numidiâ illi & illi, quos jam nec nominare ſufficimus. Circuit ergo aliquis emere columbam, unuſquiſque laudat præpoſitum ſuum quod vendit, &c. Ecce Venerabilis Auguſtinus de præpoſituræ diſtractione agens nomine columbæ, ſancti Spiritus venditionem, vel emptionem accipit, ſicut & omnes hujus Evangelici capituli tractatores. Hæc ille.

Apud Grat. cit.

Tract. 10. in cap. 2.

Tertia denique ratio eſt, quod ipſa adminiſtratio, ſeu officium propter quod datur beneficium, etiam independenter ab ordinatione ſit res ſpiritualis: eſt enim munus orandi pro populo ac miniſteria Eccleſiaſtica circa Sacramenta, Verbum Dei, &c. exercendi, quo fungi ſine Spiritus ſancti gratiâ ſpeciali nemo poteſt, ideòque nec niſi eodem dirigente aſſumi

Digitized by Google

debet, quàpropter ſacri Canones eos pariformiter condemnarunt, qui vel ordinationes vel miniſteria Eccleſiæ pecuniis acquiſiviſſent. Calcedonenſe Concilium unum ex principalibus, inquit Alexander II. ſimili pœnâ condemnat eos qui Eccleſiæ beneficium interventu pecuniæ acquirunt, & eos qui ſacram manus impoſitionem (per quam Spiritus ſanctus confertur) mercari dignoſcuntur. Utroſque enim authoritate inexpugnabili illos à beneficio, iſtos à ſacro ordine jubet expelli. Unde humani generis redemptor omnes emẽtes & vendentes de templo ejiciens, Cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit æs, præcepti ſui authoritate denuncians & dicens, nolite facere domum Parris mei domum negotiationis. Nam ſicut per columbarum venditores illi denotantur, qui ſacram manus impoſitionem vendere conantur: ſic per nummularios Eccleſiaſtici beneficii venditores deſignantur, qui domum Dei teſte Evangelio ſpeluncam latronum efficiunt. Quàpropter ego Alexander Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus (imò miniſter indignus) tot & tanta mala in multis Eccleſiis & maximè in Lucenſi Eccleſiâ ex iniquâ concupiſcentiâ fieri conſpiciens, ne ſanguis iniquorum à diſtricto judice de manu noſtrâ requiratur, illa extirpare & pœnitùs eradicare decrevimus. Conſtituimus itaque & præſenti decreto firmamus (ſicut olim noſtri

Ep. ad Cler. & populum Lucenſ. apud Gratian. 1. q. 3. cap. ex multis.

prædeceſſores feciſſe noſcuntur) ut nullus deinceps Epiſcoporum beneficium Eccleſiæ (quod quidam Canonicam vel præbendas, ſeu etiam ordines vocant) pro aliquo pretio vel munere Clericis audeat unquam conferre, ſed omnes miniſtros & ſervitores Eccleſiæ gratis, & abſque ullâ venalitate in ſanctâ Eccleſiâ ſtudeant ordinare : nec eligant in domo Domini, qui majores ſacculos pecuniæ conferant, ſed eos qui moribus & diſciplinâ atque ſcientiâ divites, pro officio ſuo ipſam valeant ſuſtentare Eccleſiam.

Hæc fuſiùs explicare neceſſe fuit, tùm ut appareret veteres Canones, dum Simoniacam ordinationum venditionem condemnant, eâdem operâ reprobare beneficiorum venditionem ; hæc enim licet nomine quodammodò differant, re tamen ipsâ prorsùs ſunt eadem, ſicut oſtenſum eſt. Tum etiam ut recentiorum quorumdam opinio redargueretur, qui putant beneficiorum collationem jure tantùm humano eſſe prohibitam & Simoniacam : quâ utique ratione viam ſternunt ad veterem illam Simoniacorum hæreſim (quæ tantoperè in Eccleſiâ graſſata fuit, nec niſi extremo molimine repreſſa) innovandam. Sic enim ordinationem, gratiam, & ſimilia quę purè ſunt ſpiritualia, Simoniaci faſtidiunt : beneficiorum verò fructibus perpetuò inhiant ; ut introductâ jam conſuetudine in beneficiis pacto expreſſo vel tacito pecuniâ comparandis,

Digitized by Google

prætendere poſſint ſe contra legem Eccleſiaſticam præſcripſiſſe. Moderni temporis Simoniaci, inquit Petrus Damiani, quia miraculis ſe clareſcere poſſe non ſperant, non Spiritum ſanctum, non ejus dona deſiderant, ſed obtinendi principatus ambitione ſuccenſi ad culmen tantummodò dignitatis anhelant.

Opuſc. 6. cap. 6.

Apparet etiam falſum eſſe, immò & pernitioſum dicere, quod jus percipiendi fructus ſit principale, officium verò ſit acceſſorium: primò enim & principaliter præcipitur clericis, ut quærant regnum Dei & juſtitiam ejus, ſivè ut convenienter in ſuo ordine miniſtrent, ac deindè cœtera abjicienda eſſe promittuntur, ſivè alimenta & quibus tegantur non defutura ſignificantur. Ideòque hinc invaluit commune axioma, Beneficium dari propter officium.

Matth. 6.

Sed neque exiſtimandum eſt, prædia, poſſeſſiones, fructuſque eorum Clericis dari loco beneficii, mercedis aut recompenſationis, at potiùs per modum ſtipis, ſtipendii, alimenti: id enim eſt de Evangelio vivere, ſicut ait Apoſtolus: quid eſt aliud de Evangelio vivere, niſi laborantem indè ubi laborat neceſſaria vitæ percipere, inquit Author libri de vitâ contemplativâ apud S. Proſperum, Sic & S. Auguſtinus, undè vivitur neceſſitatis eſt accipere, charitatis eſt præbere: non tanquam venale ſit Evangelium, ut iſtud ſit pretium ejus, quod ſumunt qui annuntiant, undè vivant: ſi

1. Cor. 9.

lib. 2. c. 14.

Serm. de Paſtor. cap. 2.

enim ſic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Non enim eſt idoneus populus reddere mercedem illis, qui ſibi in charitate Evangelii ſerviunt. Non expectent illi mercedem, niſi undè & iſti ſalutem.

Sicut igitur milites ſtipendia militiæ non reputant in laboris remunerationem aut virtutis pretium, ita nec Clerici ſtipendia ſeu præbendas ſibi propter officia reddita non debent reſpicere tanquam laborum ſuorum mercedem: quia ſicut ait Author librorum de vitâ contemplativâ, ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, ſed cogit vivendi neceſſitas. *Cap. 11.* Undè quamvis nomen uſitatum beneficii retineri poſſit, nemini tamen ipſius ſignificatione abuti licet, ut bona Eccleſiæ ſibi beneficii loco dari exiſtimet, aut fructus temporales tanquam finem, mercedem, aut recompenſationem officii Deo à ſe præſtiti accipere proponat.

Digitized by Google

§. 5.

Quomodo Simoniaci dando pecuniam ante vel poſt acceptum Beneficium Eccleſiaſticum, infamiam ſui criminis devitare intendebant.

QUartus denique modus quo Simoniæ labem declinare conati ſunt miniſteriorum Eccleſiaſticorum ambitioſi, fuit, quod incontinenti pecuniam non darent pro beneficio, ſed ante vel poſt, quaſi aliâ de cauſâ gratuitò traderent. De his ita refert Concilium Toletanum undecimum, ordinationis ſuæ tempora præveniunt munere, aut poſt acceptum honorem promiſſis ſuis conferunt apparatibus turpis lucri mercedem. Sanctus quoque Baſilius ait: putant quidam ſe nihil delinquere quod non ante, ſed poſt manuum impoſitionem accipiant. Eadem verba S. Baſilii refert de Simoniacis ſui temporis Taraſius Conſtantinopolitanus in epiſt. ad Hadrianum.

Cap. 9.

Ep. 70. ad epiſc. Diœceſ Pontic æ.

Tom. 7. Cõcil. 8. ſeſſ. Nyc. ſynod. 2

Apud Grat. 1. q. 2. cap. nullus abbas

Hanc autem novam ſimulationem, quam uti loquitur Urbanus Papa, ambitio adinvenerat, Eccleſia ſæpius reprobavit, declarans ſicut idem ait Pontifex, nulli unquam de ordinationibus (ſivè de quibuſvis etiam beneficiis Eccleſiaſticis) aliquid accipiendum eſſe, accipere

enim pecuniam ſivè ante, ſivè poſt, ſemper eſt accipere. Ita ille. Ideòque S. Baſilius hortatur Epiſcopos ſuæ Diœceſis, ut quæſtum hunc, immò tranſitum ad gehennam declinent, nec manus tali lucro polluentes ſe ad tractanda ſancta myſteria conſtituant; quia, inquit accipere pecuniam eſt accipere, quandocumq; fiat. *Epiſt. cit.*

Sic etiam Synodus Conſtantinopolitana ſub Gennadio Patriarchâ, cùm renovaſſet Canonem Calcedonenſem prohibentem quicquam pro ordinationibus, aut pro aliâ promotione Eccleſiaſticâ accipi, ſubdit. Pulcherrima & valdè pia ſunt hujus Canonis Sanctorum Patrum præcepta, quæ omnem invaſionem ſathanicam, diabolicumque conatum, qui in domum ſpirituale intenditur repellit & reſcindit: non enim modò vult ordinationis promotionem pecuniis aut fieri aut ſuſcipi, nec ab eo qui illam exercet, nec ab eo qui ordinationis promotionem accipit: ſed nec ante tempus ordinationis, nec poſt, dari pecunias concedit: omnium enim in hac quoque re eſſe ſordes munerumque corruptionem pronuntiat. *apud Baron. ad an. 459. ep. circulari*

Eodem quoque modo Taraſius Conſtantinopolitanus ait. Porrò ſubjecta Sanctorum teſtimonia alienum omninò à Sacerdotio pronuntiant eum, qui dederit aliquando, vel acceperit in aliquo tempore, ſive ſcilicet ante ordinationem, ſive in ordinatione, ſive poſt ordinationem. Accipere enim eſt quandocumque accipere: ſed & *Epiſt. cit.*

omnes Eccleſiaſticas promotiones, in quibus pecunia intervenit, irritas eſſe jubent. Salesburienſis animadvertens ad hæc verba, ſubdit:

Lib. 7. polyc. cap. 19.

Neque refert quod pecunia intercedat in contractu vel ante vel poſt: cùm omni tempore negotiantes in talibus damnatio Simoniacæ pravitatis involvat. Cùm enim prohibitum ſit ob hoc accipere vel dare quippiam, nunquam accipere vel dare erit licitum, quod eſt uſquequaque prohibitum.

Denique Concilium Bracarenſe tertium ait:

Cap. 7. cit. Ivo part. 4. cap. 85.

Quicumque pro conferendo cuiquam ſacerdotii gradu, aut munus quodcumque aut promiſſiones muneris antequam ordinetur acceperit: vel etiam poſtquam ordinatus fuerit, in aliquo ſe pro hoc ipſo præſumpſerit munerari: ſive ille qui dederit, ſive qui acceperit, juxta ſententiam Concilii Calcedonenſis gradus ſui periculum ſubibit.

§. 6.

Propter cavillationes Simoniacorum Eccceſia coacta fuit varias clauſulas decretis ſuis adjicere, atque in iis Simoniacos jurare compulit, ſe nullo modo pecuniam dediſſe.

AD comprimendam ambitionem honorum ſœcularium, Theodoſius & Valen-

Digitized by Google

tinianus Imperatores Conſtitutionem emiſerunt, per quam Sacramentum juramenti exigendum eſſe decreverunt, ab iis qui munera publica adepturi eſſent, ſe nullam omninò pecuniam pro *illis* aſſequendis quoquo modo dediſſe. Ea autem ſic ſe habet: Sancimus ejuſmodi viros ad Provincias regendas accedere, qui ad honoris inſignia non ambitione vel pretio, ſed probatæ vitæ & amplitudinis tuæ (ſcribunt ad Florentinum Præfectum) ſolent teſtimonio promoveri: ita ſanè ut quibus hi honores per ſedis tuæ, vel per noſtram fuerint electionem commiſſi, jurati inter geſta depromant, ſe pro adminiſtrationibus ſortiendis neque dediſſe quidpiam, neque daturos unquam poſtmodùm fore, ſivè per ſe, ſivè per interpoſitam perſonam, in fraudem legis, ſacramentique, aut donationis, venditionisvè titulo, aut alio velamento cujuſque contractus: & ob hoc (exceptis ſalariis) nihil penitùs tam in adminiſtratione poſitos, quàm poſt depoſitum officium pro aliquo præſtito beneficio tempore adminiſtrationis, quam gratuitò inierint accepturos. Et licet neminem divini timoris contemnendo jusjurandum arbitremur immemorem, ut ſaluti propriæ ullum commodum anteponat, tamen ut ad ſalutis timorem etiam neceſſitas periculi ſubjungatur, ſi quis auſus fuerit præbita ſacramenta negligere, non modò adverſùs accipientem, ſed etiam adverſus dantem, accuſandi cunctis

Lib. 9. Cod. ad l. Iuliam repetundar. Refertur à Gratian. 1. q. 7. cap. Sancimus.

Digitized by Google

tanquam publicum crimen, concedimus facultatem, quadrupli pœnâ eo qui convictus fuerit modis omnibus feriendo.

Hujuſmodi utique ſanctio utilis fortaſſe videbitur ad corrigendum prophanorum hominum ambitum, nè munera Reipublicæ pecuniis potiùs, quàm ſcientiâ ac probis moribus conſequerentur. At probroſa eſt quodammodo Clericis iſtius juramenti exactio, quæ ſicut ait Chriſtus, non niſi à malo eſt: ideòque Origenes dicit: Exiſtimo quoniam non oportet, ut vir qui ſecundùm Evangelium vult vivere, adjuret alterum. Improbitas autem Simoniacorum eò adegit Eccleſiam, ut etiam frequenter iſtiuſmodi juramentorum ſacramenta promovendis proponeret, ut qui pietate ac verecundiâ non ducerentur, conteſtatione ſaltem percellerentur divini judicii.

In Matth.

Ita Concilium Toletanum undecimum decrevit: ut horum & ſimilium argumentorum deinceps amputetur occaſio, hæc ſancta Synodus definivit, ut cùm quiſque Pontificale culmen ante Domini altare percepturus acceſſerit, exactione aſtringatur, quod pro conferendâ ſibi conſecratione honoris nulli perſonæ cujuſlibet præmii collationem vel aliquando dediſſet, vel aliquando in futurum dare procuret.

Cap. 9.

Breviarium etiam juramenti à Petro Damiani legato Nicolai II. Pontificis, propoſitum Archiëpiſcopo Mediolanenſi ejuſque Clericis

Vide Baron. ad an. 1059

hæc continebat: Pro ſuſcipiendis gradibus Eccleſiaſticis, ſive per me, ſive per ſubmiſſam perſonam, ſive per quodlibet ingenium, nec dedi nec promiſi, nec per promiſſionem daturus ſum aliquid: ſic me Deus adjuvet & iſta ſancta Evangelia.

Eodem modo Reginaldus Polus à ſanctâ Sede delegatus pro reformatione Cleri Anglicani, cùm adnimadverteret Simoniacos per ſuas ſtrophas eludere conſtitutiones Eccleſiaſticas, formulam juramenti pro omnibus beneficio alicui præſentatis, meditatus eſt omni modo conſultam, ut hinc diſcant, inquit, qui ſincerè veritatem diligunt, utrùm huic ſubſcribere parati ſint.

An. 1556. in opere de reform. Angliæ decret. 9. de Simon.

Hæc autem ita ſe habet: Ego N. præſentatus ad beneficium N. juro ad hæc ſacra Dei Evangelia per me corporaliter tacta, quod propter prædictum Beneficium obtinendum, aut ad præſentationem ad idem habendum aut acquirendum, neque ego, neque alia perſona, vice aut nomine meo, nec de conſenſu aut ſcientiâ meâ, patrono ſeu alii cuicumque aliquid præmiſſorum nomine, aut intuitu, promiſimus aut dedimus, nec quicquam ejus rei gratiâ permutavimus, compenſavimus, aut priùs datum confirmavimus, apudvè quemquam depoſuimus, ſeu quidquam mutuavimus ſeu elocavimus, priuſvè mutuatum, commodatum, depoſitum aut elocatum, aut quocumque modo debitũ remiſimus ſeu relaxavimus;

Digitized by Google

nec de .... glebâ, domibus, terris, prædiis, tenimentis, redditibus, prædictæ Eccleſiæ fructibus, vel decimis, aut oblationibus ejuſdem præteritis, præſentibus, aut futuris donationem, remiſſionem, locationemvè promiſimus, fecimus, aut inivimus, ſeu aliquis noſtrûm de mandato, ſcientiâ aut conſenſu meo promiſit, fecit, aut inivit: ita Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Porrò Simoniacorum protervia hujuſmodi repagulis cohiberi, aut vinculis conſtringi ſe nullatenùs paſſa eſt, ſed omnes rectarum conſtitutionum metas obliterans, quibus pecuniam quocumque modo dari prohibebatur, eas vel localia eſſe præcepta aut per deſuetudinem obſoleta prætexebant.

Apud Gratian. 1. q. 1. cap. reperiuntur.

Ita S. Ambroſius, vel potius Concilium Toletanum octavum decreverat, dicens: Proinde quia & uſitatum eſt tantum malum, & Majorum frequenter conſtat mucrone ſuccisum: nos quoque huic vulneri cancroſo ignitum (quod ſupereſt adhuc) injicimus ferrum, decernentes omninò, ut quicumque deinceps propter accipiendam Sacerdotii dignitatem, quodlibet præmium fuerit detectus obtuliſſe, ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Chriſti Corporis & Sanguinis alienum: ex quo illum conſtat execrabile Chriſto perpetraſſe flagitium.

Hunc utique Canonem veteres Eccleſiæ

Digitized by Google

Doctores Simoniacis frequenter objecerunt : inter quos ſic refert Salesburienſis. Nam quia Beatus Ambroſius hæreſim Simoniacam committi dicit in talibus, provinciale decretum interpretantur eſſe, & quod in ſolâ Italiâ, & inter Lombardos debeat obtinere. Cumque iterùm replicaretur, quod conſtitutio Apoſtolica idem prohiberet : referunt, inquit idem Author, & nequaquam eſſe perpetuum, ſed pro loco & tempore diſpenſandum.

Lib. 7. Polycr. cap. 17

Sic itaque Simoniaci omnia Eccleſiæ decreta variis conquiſitis allegationibus pervicaciter eludebant, qui nihilominùs hæreſeos notam propterea non evaſerunt, ſed inde potius eandem contraxerunt : ſi enim hoc ſimpliciter, prout ſibi videretur exprimerent, inquit idem Petrus Damiani, ſtulti vel hebetes meritò dicerentur : ſed quoniam nonnulli talium id efficaciter aſtruunt, & quibuſdam cavillationum argumentorumque verſutiis pervicaciter allegare contendunt, non immeritò (quod inviti dicimus) hæreticorum nomen incurrunt.

Apud Baron ad an. 1065

CAPUT SEPTIMUM.

De velamine quo Simonia palliata hoc tempore graſſatur.

§. I.

Simoniaca lues artificio dæmonis palliata etiamnùm ſerpit.

S. Greg. in moral.

DOLOSUS adverſarius ferire ſimul nititur, & apertè ſæviens & inſidioſè latens, ut dum occultò ſagitta metuitur, minus ante faciem haſta timeatur: vel dum ante faciem haſtæ reſiſtitur, nequaquam ex occultò veniens ſagitta timeatur. Ita ſanè veterator generis humani hoſtis per manifeſtos hæreſum inſultus, Eccleſiam poſtremis hiſcè temporibus publicè palamque depopulatus eſt: in quibus propulſandis dum Eccleſiaſtici Doctores omnem induſtriam atque fortitudinem exerunt, ipſe inſidiosè agens perverſarum quarumdam doctrinarum ſemina in moralibus opinionibus diſperſit, quibus fidelium integritatem pervertere eſt conatus.

Pet. Raul. ad illud Matt. ductus eſt Ieſus.

S. Iſidor. lib. 3. de ſommo bono.

Ipſe equidem omnis mali Author, corruptor ſæculi, hominis ſemper inimicus, quando decipere quemquam quærit, prius naturam uniuſcujuſque intendit, & inde applicat, unde

aptum

aptum hominem ad peccandum inſpexerit. Si natura hominum proclivis ſit in vitia, docet eos velle non modò cum veniâ, ſed etiam cum ratione peccare: Malefacere utique qui vult, nuſquam non invenit cauſam, inquit Seneca, malevolus ſemper ſuâ naturâ utitur. Hujuſmodi profectò vitæ noſtræ malignitatem ſimilitudo declarat, inquit Caſſiodorus, aranea eſt animal debile ac tenuiſſimum, quod tranſeuntibus muſcis quædam retia doloſa contexit; ſic animi illorum qui ſceleratis operibus dediti ſunt, inanibus & ſubdolis machinationibus occupantur. *Lactantius 4. inſtitut.* *De provid.* *Ad illud, anni eorum.*

Ex quo autem ſcit ſe nullatenùs apertâ impietate nec capi nec recipi, ubi vera charitas adhuc locum obtinuerit, latenter ponit inſidias, ſeu uti apud Job legitur, abſcondit in terrâ pedicam & decipulam ſuper ſemitam: atque ita evenit, ut qui cognitus reſiſtentis virtute repulſus fuiſſet, latens obtineat, quod certando non potuit. Quid adverſus alios faciat, inquit S. Bernardus, quos videt omninò diligere juſtitiam & odiſſe iniquitatem? quid niſi ut iniquitatem palliet virtutis imagine: quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis ſub ſpecie boni, non mediocris, ſed perfecti perſuadere conatur. Ita videlicet venena non dantur niſi melle circumlita, & vitia non decipiunt, niſi ſub ſpecie umbrâque virtutum. *S. Greg. lib. 4. Reg. cp. 7.* *Cap. 18.* *S. Greg. l. 4. Reg. cp. 56* *In pſal. qui habitat, v. 6* *S. Ambr. lib. de virgin.*

Multis ingerit ſapientiæ jam adeptę opinionem, ac per hoc decipit, quod ante tempus *Hugo lib. didaſcalicon.*

Digitized by Google

ſapientes videri volunt, ut jam & ſimulare incipiant, quod non ſunt, & quod ſunt erubeſcere. Ipſi ultra terminos quos poſuerunt Patres progredi geſtiunt, ac ſine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant: ipſi ſunt in arte ſpirituali exiſtentes & diſcipuli pariter & magiſtri. Non ſufficit hoc, etiam coacervant diſcipulos ſibi, cœci duces cœcorum. Quàm multi ex hoc à recto tramite aberraſſe comperti ſunt! exclamat S. Bernardus: nimirùm ignorantes aſtutias ſathanæ, & cogitationes ipſius, factum eſt, ut qui ſpiritu cœperant, carne conſummarentur, abducti turpiter, lapſi damnabiliter. Ita ille. Cui conſonat S. Gregorius dum ait: Nonnulli dum plus exquirunt contemplando, quàm capiunt, uſque ad perverſa dogmata erumpunt, & dum veritatis diſcipuli eſſe negligunt humiliter, magiſtri erroris fiunt.

S. Bernard. ſerm. 77. in Cantic.

lib. 8. moral.

Hinc in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit, ſicut teſtatur Alexander VII. alienus omninò ab Evangelicâ ſimplicitate, ſanctorumque Patrum doctrinâ, & quem ſi pro rectâ regulâ fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela.

In bull. edit. ann. 1666. 14. Sept.

Inter iſtiuſmodi autem opinionum errores præcipuum facilè locum obtinet ille, qui ad gradus Eccleſiaſticos quæſtuoſis modis acquirendos communem ſternit viam. Cujus utique dedecora ſiquidem occulta forent, fuerant

fortaſſis utcumque tacenda: ſed heu ſcelus! omni pudore poſtpoſito peſtis hæc in tantam prorupit audaciam, ut per ora populi volitent & pretia præbendarum, & aſtus Doctorum. *Petr. Dam. ep. ad Nicol. pap.*

Murmur loquor Eccleſiarum publicè privatimque conquerentium, ſerpere etiamnum hodie putidam illam rabiem per omne corpus Eccleſiæ; & quò latiùs eò deſperatius: eòque periculoſius, quò interiùs; nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & areſceret: ſi violentus inimicus, abſconderet ſe quis forſitan ab eo. Nunc verò quem ejiciet, aut à quo abſcondet ſe? omnes quippè amici & & omnes inimici, omnes neceſſarii & omnes adverſarii, omnes domeſtici & nulli pacifici. *S. Bernard. ſerm. 33. in Cantic.*

Utinam profectò ſoli impugnarent nos maligni ſpiritus cum ſuggeſtionibus ſuis, & nihil nocerent homines pernitioſis exemplis, perſuaſionibus importunis, ſermonibus adulationis, periculoſis opinionibus, atque aliis mille modis, quibus tam latè diffuſa eſt Simoniæ velata hypocriſis; ut vix ſit qui declinet eam: ſic & in iis qui Religioſi habentur regnare comprobatur, & ipſi Doctores quibus Apoſtolicum ſalem condiendis & extinguendis putoribus Dominus commiſit, ipſius nefariis auſibus commerciiiſque aſtipulari dicuntur. *S. Bernard. in ſerm.* *S. Auguſt. lib. 1. ſerm. D. in monte cap. 6.*

Digitized by Google

§. 2.

Quanquam nonnulli offendendi videantur, hortantur tamen Patres ad propalandam Simoniam, ut infirmiores inde emendari poſſint.

S. Bernard. apol. ad Guill. Abb. S. Auguſt. lib. de agone Chriſti.

ENimverò vitia carpens ſcio me offendere vitioſos: liberè enim & ſine adulatione veritatem prædicantes, & geſta pravæ vitæ arguentes gratiam non habent apud homines. Nec opinor, quod aut avari ſibi aurum, aut ambitioſi honores adimi æquanimiter patientur: ſicut nec illi, qui pulvillis ſibi à magiſtris ſuppoſitis alto cupiditatis ſomno conſopiti ſecurè indormiunt, à quiete ſeſe excitari ſuſtinebunt, ut vel ſuum periculum expaveſcant.

S. Bernard. ſerm. 77. in Cantic. S. Greg. lib. 10. cap. 16 mor. in Iob.

Redarguent fortaſſis illi ignorantiam, temeritatem, inſolentiam meam: Sic enim qui ejuſmodi artes ad Simoniam palliandam ſciunt cœteros deſpiciendo ſuperbiunt, qui neſciunt ſubjecti & timidi in illis admirantur: ideò etiam objicient viros ætate graves, doctrinâ conſpicuos, in vitâ irreprehenſibiles ſibi in iſtis actibus, rebus maturè conſultis patrocinari.

S. Auguſt.

At verò ſi remotis obſtaculis infidæ opinionis, peccata nuda penſentur, acutè inſpiciantur

falſa tegmina, vanæque laudes & gloriæ auferantur, tunc apparebunt miſeriæ peccatorum. Propter quæ videlicet vulgus conqueritur, imbecilles murmurant, invidi detrahunt, fides magiſtris debita in ambiguo eſt, quod adulterantes verbum in malitiâ veritatem videantur imitari, ſeu quod præſcriptis à Deo atque ab Eccleſiâ regulis, artificioſius illudere credantur. *S. Baſilius ep. 69.*

Quid quod illi ipſi, qui conſiliariorum ſuorum opinionibus commodi proprii illecebrâ deliniti plus æquo aſſentiuntur, aliàs ſæpè auditi fuêre, exiguam ſeſe iſtiuſmodi arbitriis habere fidem. Quin etiam eadem aſpernati ſunt, dum videlicet exinde nullam verſuram expectabant: nempè ſic ſe habent mortalium corda, inquit S. Bernardus, quod ſcimus cùm neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus. *lib. 2. de conſid. cap. 1.*

Quâpropter non gravabor illis diſplicere, qui propter rerum divinarum irregularem ambitum omnibus bonis diſplicent, qui dum à pravis cupiditatibus ſuis ſoluti fuerint, ſibi ipſis non placent. Moleſtus eſt utique medicus furenti phrenetico, inquit S. Auguſtinus, & pater indiſciplinato filio: ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo diligendo: ſi autem illos negligant & perire permittant, iſta potiùs falſa manſuetudo crudelitas eſt. *Ep. 50. ad Bonifacium.*

Phreneticorum febri exæſtuant qui Eccleſiaſticos gradus ambiunt, & pecuniarum oſtentatione potius quàm vitæ merito conſcendere

Digitized by Google

feſtinant: læthargicorum ſopore demerſi ſunt, qui ad fulgentia Sacrorum Canonum lumina non evigilant. Quid autem hic faciat Eccleſiæ medicina ſalutem omnium maternâ charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & læthargicos exæſtuans, ait S. Auguſtinus, numquid contemnere, numquid deſiſtere vel debet vel poteſt? utriſque ſit neceſſe eſt moleſta, quia neutris eſt inimica, nam & phrenetici nolunt ligari, & læthargici nolunt excitari: ſed perſeverat diligentia charitatis phreneticum caſtigare, læthargicum ſtimulare, ambos amare: ambo offenduntur; ſed ambo diliguntur: ambo moleſtari quamdiu ægri ſunt indignantur, ſed ambo ſanati congratulantur. Tunc utique fatebuntur cùm ad ſanitatem redierint, nos ſibi moleſtos eſſe debuiſſe, ne tanquam mortifero ſommo, ita morbo veternoſæ conſuetudinis interirent.

Epiſt. 167.

Idem ep. 48

Quamquam autem eorum qui Simoniacâ lue infecti ſunt, ſecundùm impœnitens cor quod habent, deſperata ſalus videatur, atque æternus finis interitus. Cùm tamen nemo repentè fiat turpiſſimus, & vix aliquis in hunc affectum malitiæ, niſi pravâ conſuetudine pertranſeat: incredibile non eſt nonnullos eſſe, quibus Simonia per honeſtam virtutis imaginem fallens occultis acceſſibus latenter ſurrepit. Apud hujuſmodi utique homines non erit ſupervacaneus labor clauſum vitium, & arte palliatum revelare.

S. Bernard. in declam.

S. Cyprian. in epiſt.

Ita olim S. Auguſtinus dum Honorati hæretici Manichæi converſionem meditaretur, dixit: ſi mihi unum atque idem videretur eſſe hæreticus & hæreticis credens homo, tam linguâ quàm ſtylo in hac causâ conquieſcendum mihi eſſe arbitrarer. Nunc verò cùm inter duo plurimùm interſit, quandoquidem hæreticus eſt, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque ſui gratiâ, falſas ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur. Ille autem qui hujuſmodi hominibus credit homo eſt imaginatione quâdam veritatis ac pietatis illuſus. Ideòque ſubdit, non putare ſe apud hunc ſilendum eſſe, quid de inveniendâ ac retinendâ veritate videretur. *Lib. de util. cred. initio.*

Cùm itaque, ſicut ait Seneca, duo ſint propter quæ delinquimus, quatenùs videlicet aut ineſt animo pravis opinionibus perverſiſque actibus malitia contracta: aut etiamſi non eſt falſis occupatus, ad falſa tamen proclivis eſt, & citò ſpecie, quò non oportet, trahente corrumpitur. Sicut illa immedicabilis quædam eſt, & depravata mentis perverſitas: ita hujus non prorsùs deſperata eſt ſanitas: ac propterea omni genere medendi atque auxiliandi agendum eſt, ut in primo genere peccantibus divinæ juſtitiæ aut ſingulari miſericordiæ dimiſſis, poſtremi ſaltem ſanis Eccleſiæ imbuantur doctrinis, atque in rectam veritatis ſemitam quantùm fieri poteſt dirigantur. *Epiſt. 4.*

Ad hoc invitat Summus Chriſti Pontifex

Digitized by Google

Cap. ſi dominus extra. de Simō. Adeodatus Papa, dum ait: Quilibet Catholicus non modò eſt reſpuendus, ſed ut veritatem aſſerat ad propalandam Simoniacam rabiem, magnis eſt precibus exhortandus.

S. Ambroſ. l. de dign. Sacerd. Solicitudo inſuper fraterni me movet amoris, illorum præcipuè qui mentis tepore hebetati Sacerdotalem diffamant honorem, & qui novam prodigaliter regulam hac tempeſtate peperiſſe deflentur, & Gieſi ſectantes & Simonis ſententiam, ſancti Sacerdotii gratiam pecuniis coëmerunt.

Cumque continuis timoratorum querelis impulſus aliquid hac in causâ experiri conatus fuerim, atque jam me profeciſſe conſiderem: *S. Greg. l. 7. Reg. ep. 117.* terruerunt illicò Patrum ſententiæ, dicentium: Quod conſentire videatur erranti, qui corrigenda, ut reſecari debeant non occurrit: *l. 10. moral.* quod qui emendare poteſt, & negligit, participem *Innoc. Papa.* ſe proculdubiò delicti conſtituit: quod error cui non reſiſtitur approbatur, & veritas cùm *Apud Grat. diſt. 8. c. error. & 23. c. qui propter.* minimè defenſatur opprimitur. Negligere quippe cùm poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quàm favere eorum impietati, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultę, qui manifeſto *S. Aug. l. de Agone Chriſti.* facinori deſinit obviare. Quod etiam qui veritatem occultat & qui prodit mendacium, uterque reus eſt, ille quia prodeſſe non vult, iſte quia nocere deſiderat. Ac ſpecialiter quod *Apud Grat. 1. q. c. quiſquis.* ait S. Gregorius, quiſquis contra Simoniacam hæreſim pro officii ſui loco vehementer non exarſerit, cum eo ſe non dubitet habiturum

Digitized by Google

portionem, qui prius commiſit hoc piaculare flagitium.

Quoniam igitur audivimus Deum per os Prophetæ clamantem, inquit Taraſius Conſtantinopolitanus, Sacerdotes loquimini ad cor Hieruſalem: rurſusque minantem & dicentem, ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina, & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate ſuâ captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram. Hujus profectò quæ ex ſilentio imminet condemnationis metu, omnibus earum quæ apud nos ſunt Eccleſiarum præfectis annuntiamus, ita ut fidenter divinum Apoſtolum imitantes dicamus, mundi ſumus à ſanguine eorum, qui tranſgrediuntur canonicas conſtitutiones, & multò magis eorum qui ob pecunias ordinaverunt aut ordinati ſunt: quippe cùm Petrus divinus ille Apoſtolus hos depoſuerit, ut Simonem Magum: propterea non refugimus, quin veritatem prædicemus, ſervantes & retinentes ea quæ à Sanctis & omniquâque benedictis Apoſtolis, & ab inclytis Patribus noſtris Canonicè ſunt tradita.

ep. ad. Hadr. *Iſaiæ 40.* *Ezech. 33.* *Act. 20.*

§ 3.

De Oblatione ac Retributione munerum, per quæ Recentiores Simoniæ infamiam declinare putant.

CIrcumfertur hæc tanquam recentiorum Theologorum doctrina: quod Simonia non committatur, ſi in collatione aut reſignatione beneficii non detur pecunia cum pacto & per modum pretii, ſed tantummodò ſi vel præviè detur tanquam motivum ad inducendum collatorem, reſignantem, eligentemvè, ut beneficium ſibi conferatur. Aut ſi per modum gratitudinis ex poſtfacto beneficium acceptum largitione pecuniariâ recompenſetur, quaſi ad ſatisfaciendum obligationi gratitudinis præſtandæ, quam antidoralem vocant.

Dum autem pecunia ſeu quidvis aliud temporale præviè tanquam motivum offertur, licet intendere, inquiunt, per hanc donationem gratuitam captare benevolentiam ejus, in cujus poteſtate eſt, ut nobis beneficium conferat aut procuret: ſicut etiam ipſemet qui illam acceptat eodem intuitu recipere poteſt. Eodem quoque modo qui beneficium alteri confert aut procurat, poteſt eâ intentione moveri, ut

ſibi gratitudinis causâ temporale redonetur, alioquin nullo modo procuraturus.

Immò inſuper addunt, quod licet temporale intenderetur tanquam motivum principale dandi ſpirituale, ſeu etiam tanquam finis rei ſpiritualis, aut ècontra, ſpirituale tanquam finis temporalis, Simoniam non committi: quatenùs videlicet in tali ſpecie ſeu agendi modo nulla intercedit pactio aut æſtimatio pecuniæ, tanquam pretium æquivalens cum re ſpirituali.

Undè aliqui præſentientes hujuſmodi intentionem promittunt aliquando etiam verbis, ſe non fore ingratos: alii modeſtiùs, ſe honeſtos eſſe viros: alii etiam ſcrupuloſiùs, nihil exteriùs fandum eſſe rentur, ſed mente tantùm gratum animum retinent: de quorum ſanè ſedulitate illi, qui dona aut beneficia priores conferunt, ſatis ſibi ſuperque perſpectâ incunctanter confidunt: utpotè quos ex præconcepto errore religione quâdam aut pudore humano aſtringi non dubitant, ad grati animi teſtimonium copioſâ remuneratione pecuniarum demonſtrandum.

Hi autem licet nullum pacti eſſe commodum videantur, non minùs de juſtâ retributione ſunt ſolliciti, quàm ſi expreſſam ſponſionem feciſſent, eamque tanquam ex debito ſolvunt: non ſecùs ac Cornelius aſinam pecuniâ onuſtam in forum produxit, loco ſponſorum, cùm fundum emiſſet. Undè Corneliæ *Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 6.*

genti aſinæ çognomentum datum eſt.

Porrò ſi de cujuſquam probitate dubitatum fuerit, pecunia apud mediatores quoſdam, quin & apud ipſos conſultores, ſeu horum negotiorum directores deponitur, qui utrimque fidejubent, neminem ſuâ expectatione aut intentione fruſtrandum. Nihil in hoc veriti Canonis Calcedonenſis cenſuram decernentis, quod ſi quis mediator dati vel accepti extiterit, ſiquidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat, ſi verò monachus aut laïcus anathematizetur.

Cap. 4.

Ita pro multiplicitate rerum, negotiorumq; varietate diverſificantur modi agendi, qui nihilominus omnes unâ directione intentionis rectificari videntur, quatenùs non per modum pretii neque ex pacto, ſed potiùs per modum motivi aut gratitudinis, temporale cum ſpirituali, beneficium Eccleſiaſticum pecuniâ liberaliter commutatur.

Liberaliter inquam, non quaſi fortuitò aliquid detur, ſed ex intentione unum alterius intuitu donatur redonaturvè, nec niſi reipsâ per muneris præſtiti inductionem, aut in ſpe remunerationem expectando; nec aliter, nec alio modo, juxta conſcientiæ cujuſque teſtificationem, hæc negotia tranſiguntur. Ipſius verò remorſus conſopitur, quod tractantes ipſi probè intelligant, Simoniam contractum quendam eſſe, eumque oneroſum temporale pro ſpirituali dandi: quodq; ipſi non intendant,

Digitized by Google

aut velint obligationem juſtitiæ inducere tanquam ex pacto; ſed tantùm juxta gratitudinis naturalem exigentiam expectare remunerationem: eâque legitimâ mentis affectione adducti, quod nolit quiſquam beneficia ingratis conferre.

Undè & tam ſollicitè ſibi provident de eo qui beneficentiam compenſare velit ac poſſit, quantùm ſi res ſuas commodando, aut pecuniam mutuando, alterius fidei credere deſiderarent, non pauperes, non eos qui hujuſmodi prejudiciis imbuti non fuerint eligunt, ſed fideles ut ita dicã Mecenates, qui ſuis cupiditatibus non deſint. Si quis verò præter ſpem eos deceperit, de hoc conqueruntur tanquam de ingrato ac proditore Iſcariote. Sperantes videlicet hujuſmodi quæſtus, inquit Petrus Damiani, hoſtis antiquus quandoque deludit, ut eis nullatenus impleat quod promiſit: ſicut enim auceps accipitrem ad eſcam carnis blandiens provocat, ſed mox ut manu tenuerit, carnem ſubtrahit, loro pedes aſtringit; ita diabolus primò quidem pollicetur lucrum, ſed poſtmodùm ſubſtrahens, peccati dumtaxat injicit laqueum. *Opuſc. 31. cap. 4.*

§. 4.

Mirum eſt Veteres expeditam hanc Simoniæ declinandæ rationem ignoraſſe.

SAnè dum expeditam hujus doctrinæ rationem ad Eccleſiaſtica beneficia pecuniis expugnanda accuratiùs perpendo, non poſſum non exclamare cum Guigone Carthuſianorum Generali: O Apoſtolorum Patrumque tempora infœliciſſima! ô viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miſeratione digniſſimos, qui ut ad vitam pertingerent propter verba labiorum Dei, tam duras vias cuſtodiebant, & hæc noſtra compendia neſciebant.

Quot illi dicteria in Simoniam, quot anathematum fulmina non ſunt jaculati: quibus non execrationibus dirisque eam devoverunt: quibus non cenſuris, pœnis, ſuppliciiſque eandem non afflixerunt: quibus non cautionibus provida eorum cura omnes illius circulos ſuccidit, aditus præcluſit, artes confudit? Quot, quibus, quantisque miraculis ac portentis Deus ipſe inſolentiam illius non confregit? Ipſa tamen hiſce non obſtantibus in Eccleſiam continuò irrepſit, latè per eam diffuſa eſt, ac inſolenter obſtinatèque graſſata, ſicut Patres per

omnia ſœcula teſtati fuêre.

Una verò nunc recentiorum obſervatio, quod pecunia pro beneficiis dari poſſit, tanquam motivum aut remuneratio, Sapiens profectò corde & fortis robore magna fecit & incomprehenſibilia quorum non eſt numerus: Eccleſiam quippe à turpiſſimâ leprâ purgavit, peſtem ejus infeſtiſſimam extinxit, hoſtem inteſtinum ipſius procul ab eâ eliminavit, ac reconcilians ima ſummis, ſeu dona Dei gratuita pecuniis compenſans remuneranſque, pacem orbi Chriſtiano reddidit; ut jam præpoſiti Eccleſiæ conflare gladios ſuos poſſint in vomeres & lanceas ſuas in falces. Ita quippè nunc Simoniam non niſi rariſſimè, & à minùs benè conſultis committi dicitur.

Iob. 5.

Iſaia 2.

Sed unde tam ſupina in Simoniacis artificioſis vafriſque hominibus ignorantia, ut ad eam obſervationem tanquam ad ſecuram ſalutis anchoram nequaquam confugerint, dum Canonum anathematibus obruerentur, dumque è receptaculis ſuis latebriſque expellerentur. Nùm fortè ea tam ſubtilis exiſtimanda eſt, ita ut ab ipſis videri non potuerit? nùm tam obſcuris tenebris involuta, ut nullo modo evolvi quiverit? nùm tam profundo immerſa, ut ita dicam, puteo, ut nullus inde eam eruere valuerit? certè quid magis obvium ad declinandam Simoniæ infamiam occurrere poterat, quàm liberalis gratuitaque doni oblatio ad movendum? quid magis naturale dictamen ſug-

gerit, quàm gratitudinem remunerationemque beneficii accepti: cur hæc ad Eccleſiaſtica beneficia non retulerunt? nec enim ingratos animos eo tempore precavêre neceſſe magis erat, quàm in præſenti: tamque opinor promptos ſe exhibebant ad remunerandum ambitioſi, quàm noſtro ſæculo. Sicut igitur nunc certam in remunerando expectationem experimur, ita nihil tunc illos commovere poterat ad cunctandum.

Cur etiam S. Petrus tam malignè de Simone Mago judicavit, ut eum pecuniam tamquam pretium non tanquam motivum offerre exiſtimaret, præſertim cùm nihil paciſceretur? Cur Eliſæus ſervum ſuum Gieſi corripuit leprâque afflixit, qui munera Naaman tanquam remunerationem oblata acceptavit? Cur Sancti Patres hanc charitatem Eccleſię, quæ tantoperè à Simoniacis divexata fuit; aut ipſiſmet Simoniacis ex amore fraterno non præſtiterunt, ut ad illam liberandam à perpetuis ſuis hoſtibus, ad hos expediendos ab omnibus peccatis, cenſuris, pœnis, directionem intentionis ſuggorerent, pecuniam dandi vel accipiendi per modum motivi aut gratitudinis. Cur è contrà tam immites in fratres extiterunt, tam crudeles in matrem, ut illos continuis nequicquam jaculis excommunicationum, ſuſpenſionum, degradationum ferirent: hanc autem aſſiduis bellis concuti ac turpiſſimâ lue fœdari paterentur, ſequentes veſtigia peſſimi Cham

Vinctt. Lirin in cõmonit.

Cham

Cham, qui nuditatem venerandi Noë operire neglexit.

An fortè etiam illi ignorabant tam ſubtiliter excogitatam doctrinam? ſi ita dicendum videtur. Ego quoque cum Tertulliano quæreloſè proponam: ergo expectabat Eccleſia neotericum aliquem Theologum, ut à veternoſis filiorum ſuorum malis liberaretur: interim verò Simoniâ ſemper graſsāte perperam docebatur, perperam anathematiſabatur, perperam Simoniaci expellebantur: fruſtra tot labores, tot ſtudia, tot deliberationes S. Doctores ſubivêre, tot perſecutiones ab inſoleſcentibus Simoniacis perpeſſi fuêre, tot Concilia ad illam cohibendam fuêre congregata, tot miracula à Deo fuêre patrata; cùm unius diſtinctionis ſuggeſtione Simoniacam pravitatem corrigere, excuſare, extinguere potuiſſet. *Lib. de præſcript.*

Quid autem aliud eſt hoc dicere, quàm quod omnes hæretici promittentes circa fidem exciderunt: quid utique illi promittunt inquit Vincentius Lerinenſis, niſi novam neſcio quam ignoratamque doctrinam: audias etenim quoſdam ipſorum dicere, venite ô inſipientes & miſeri qui vulgò ſcrupuloſi (Catholici) vocitamini, & diſcite doctrinam veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper verò revelata & oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecretim, delectabit enim vos, & item cùm didiceritis, latenter docete ne mundus audiat, ne Eccleſia *In Cōmonit.*

Digitized by Google

ſciat: paucis namque conceſſum eſt tanti myſterii capere ſecretum. (Videtur hic Author ex profeſſo animadvertiſſe ad eas conſultationes, quæ nunc ineuntur pro beneficiorum reſignationibus cum ſecuritate gratitudinis recipiendæ, quas pudet ſæpè in publicum referre, & cùm propalatæ fuerint, præ pudore improbantur, quaſi factum malè narratum fuiſſet.) Nonne hæc verba ſunt meretricis, quæ apud Salomonis Proverbia vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum: qui eſt, inquit, veſtrûm inſipientiſſimus divertat ad me. Inopes autem ſenſu exhortatur dicens, panes occultos latenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite. Quid deinde? & ille inquit neſcit quomodò terrigenæ apud eam pereant. Qui ſunt iſti terrigenæ? exponat Apoſtolus, qui circa fidem (aut circa morum integritatem) exciderunt. Hæc ille.

Cap. 9.

Quapropter adverſus hanc etiam novitatem, ſententia Apoſtoli cum eodem Vincentio expendẽda eſt. O Timothee depoſitum cuſtodi devitans prophanas vocum novitates. O exclamatio iſta & præſcientiæ eſt pariter & charitatis: prævidebat enim futuros quos etiam prædolebat errores. Quis eſt hodie Timotheus? niſi vel univerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus præpoſitum, qui integram divini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent vel aliis infundere. Quid eſt depoſitum cuſtodi? Cuſtodi inquit propter fures, propter inimicos,

Ibid.

Digitized by Google

ne dormientibus hominibus ſuperſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminaverat filius hominis in agro ſuo: (videlicet non niſi doctrinæ merito, atque integritate vitæ ad gradus Eccleſiaſticos conſcendi debere;) depoſitum inquit cuſtodi, quid eſt depoſitum? ideſt quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; (à te autem inventum eſt, illud excogitaſti, quod pecuniam dando per modum motivi, aut intendendo per modum gratitudinis beneficia diſtrahere valeas vel acquirere;) rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; (commentum verò iſtud eſt ingenii ac uſurpationis privatæ, non doctrinæ ſeu publicæ traditionis;) rem ad te perductam, non à te prolatam: in quâ non Author debes eſſe, ſed cuſtos: non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens. Depoſitum inquit cuſtodi, Catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Nolo mihi pro aliis alia ſubjicias (pro virtutibus pecunias) nolo pro auro aut impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta ſupponas, (pro virtutibus æramenta metalli,) nolo auri ſpeciem (gratitudinis vacuam quandam imaginem,) ſed naturam planè (genuinarum virtutum quæ ad Clericatum conferunt) ô Timothëe, ô Sacerdos, ô Doctor (ô Clerice)

ſi te divinum munus idoneum fecerit ingenio, exercitatione, doctrinâ (virtutibus) eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleël, pretioſas divini dogmatis (divinarum virtutum) gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem.

Porrò non eſt quod quiſquam jure mihi ſuccenſeat ex iſtâ cum prophanis hæreſum novitatibus comparatione: præterquam enim quod hæc Simoniæ excuſatio plus Eccleſiam deformaſſe videtur, quàm plerique hæreſeon errores; ſummoperè vereor, ne contra illud quod firmiſſimâ retinemus fide incautis obrepat mentibus. Si quis autem aliquatenùs offenſum ſe hac in causâ ſentiat, illum etiam atque etiam rogo, quatenùs hanc Divi Bernardi indignationem conſiderare dignetur: nec eorum ſacrilegia recenſemus, inquit, qui diligunt munera ſequuntur retributiones, vendunt Sacramenta, juſtitiam produnt: quorum necdum guttur traxit laqueum, necdum præfocavit fauces verbum blaſphemiæ, vox ſacrilega, ſermo nequam, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Videmus hæc omnia, quodammodò non videntes, quippe quibus nec flagellum eſt, nec ille comedens zelus. Hæc ille.

S. Auguſt. l. cont. Priſcil. & Origen. cap. 12.

In declam.

CAPUT OCTAVUM.

Deformatio Cleri non minùs ex muneribus ad movendum aut retribuendum oblatis ſequitur, quàm ex apertâ Simoniâ.

§. 1.

Qui Beneficia Eccleſiaſtica conferunt munerum largitione, aut retributionum expectatione corrupti, indignos meritis divites promovent, pauperibus dignis repudiatis.

NON permiſit Chriſtus novi teſtamenti miniſtros ſibi invicem hæreditario jure ſuccedere, ut qui ex omni populo ſunt præſtantiores, qui doctiores, qui in omni virtute eminentiores, illi eligerentur ad Sacerdotium: hæc eſt Utique Ecclaſiaſtici juris præſtantia ſupra Synagogam, quod delectu facto illi ſoli ad altare adducantur, qui cùm propter vitæ ſanctitatem apud Deum commendabiles eſſent, pro populo tanquam interceſſores grati admitterentur. *Origen. ſuper Levit.*

Digitized by Google

Hæc eſt pax domeſtica & cohabitantium ordinata à Deo concordia, inquit S. Auguſtinus, & clara juſtitia, ut ſcilicet qui excellunt ratione, excellant donatione; qui ſanctitate fulgent, honoris etiam decore coruſcent, ut luceant omnibus qui in domo ſunt.

In quodam ſermon.

Ideò virum Catholicum & præcipuè Domini Sacerdotem, ſicut nullo implicari errore, ita nullâ oportet cupiditate violari, nè mens pecuniæ avida, juſtitiæ formam exuat, beneficentiam communem amittat, & divitias virtutibus præſtare credat. Sicut enim hi qui per inſaniam mente tranſlati ſunt, non jam res ipſas, ſed paſſionis ſuæ phantaſias vident; ita mens avari ſemel vinculis cupiditatis adſtricta ſemper aurum, opes, poſſeſſiones videt.

S. Leo papa in ſerm.

S. Ambr. lib. de offic.

Idē ad illud Ioan. attul. ager cujuſdā divitis.

Hâc utique de causâ cùm Scriptura dixiſſet, declinaverunt poſt avaritiam, acceperunt munera, protinùs intulit, perverterunt judicium: vicinum quippè eſt atque contiguum, inquit Petrus Damiani, ut poſt munus acceptum (vel expectatum) pervertatur etiam corrupto cenſore judicium. Sic Alcamenes roganti cuidam cur à Meſſeniis oblata munera recuſaſſet? quoniam, inquit, ſi recepiſſem cum legibus pacem habere non poſſem. Et Ephialtes cùm pauperrimus eſſet, eique propterea amici decem talenta dono darent, non accepit; hæc inquiens, me cogerent: Siquidem reverenter vos haberem, aliquid prȩter jus concedere: ſin minùs vos obſervarem ingratiſſimum haberi.

Opuſc. 31. cap. 1.

Ælianus lib 11. de var. hiſtor.

Enimverò ex quo illa opinio de oblatione munerum ad movendum aut ad retribuendum invaluit, nonniſi indignos meritis divites ad Eccleſiaſtica Officia promoveri, pauperes verò quamvis virtutibus divites repelli quotidie Eccleſia miſerabiliter experitur. Ut cum Prophetâ dicere liceat: hoſtes juſti accipientes munus, & pauperes deprimentes in portâ, ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt. *Amos 5.*

Hæc eſt opinio per quam in animis hominum nunc deificatur pecunia, immò divinæ venerationis exhibetur authoritas, ut cum Alano de Rupe loquar: Proh pudor! metallorum onera largiuntur honores ad metalli pondera ponderatos. Jam non Cæſar ſed nummus eſt omnia, qui ab individualibus uſque ad generaliſſima honores ſingulos tanquam mediator excurrit. Jam nummus Patriarcha noſter efficitur, qui quoſdam in Archiëpiſcopatus inthroniſat apicem, quoſdam Epiſcopalis faſtigii erigit in honorem, hos in Archidiaconalibus adoptans officiis, alios aliarum pedeſtrium dignitatum coæquans negotiis. *De côquaeſt. natura.*

Sic etenim ii ipſi qui ſacræ Religionis idonearum decretores perſonarum eſſe debuerant, ait Glaber (collatores inquam reſignantes patroni, &c.) munerum largitione corrupti potiorem quempiam ad regimen Eccleſiarum, vel animarum dijudicant illum, à quo ampliora munera ſuſcipere ſperant; atque ita imperiti *Lib. 2. cap. 6*

Digitized by Google

In quodam ſerm.

& omninò inutiles, inquit Petrus Raulinus, elegantioribus beneficiis & officiis ampliantur, divitiæ accumulantur divitibus, nec eſt qui reſpiciat pauperem & mendicum. Eliſæus vaſa vacua implebat, & deficientibus oleum dedit. Hodie verò contemnuntur vaſa vacua, & plena ſuperimplentur: ligna in ſylvas, & aquæ in maria deferuntur, arenti terræ aqua ſubtrahitur, & flumina quæ non indigent irrigantur.

Hoc autem graviſſimum eſſe peccatum Patres paſſim teſtantur, nec niſi æterno igne ſeveriſſimè expiandum. Si hanc diſtantiam ſedendi & ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, inquit S. Auguſtinus, non eſt putandum leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem domini gloriæ. Quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore & ſanctiore. Inter omnia peccata ſacerdotum eſt maximum, ait etiam S. Ambroſius, quod non cauſas ſed perſonas conſiderant, & deſpecto juſto paupere indignos honorant.

Apud Gloſſ. Jacob. 2. ad illud, nolite in perſonar. accept.

Super Mal.

Quin immò etiamſi dives & pauper æqualiter honore Eccleſiaſtico digni viderentur, pauper potiùs præeligendus eſſet, nè miniſter Eccleſiæ indigere permitteretur. Quamvis enim uterque operarius dignus ſit mercede ſeu ſtipendio ac cibo ſuo, præſtat tamen indigentibus victum procurare, qui aliundè non habent ut vivant: eaque primaria fuit Eccleſiæ inſtitutio ſecundùm ea quæ ſcribunt

S. Hieronymus & S. Proſper. Ad quod etiam S. Auguſtinus exemplo Chriſti hortatur dicens: Abſit Domine, ut in tabernacula tua præ pauperibus accipiantur perſonæ divitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potiùs infirma mundi elegiſti, ut confunderes fortia. *Vide Grat. 1. q. 3. In ſermone quodam.*

Has utique divinarum inſtitutionum regulas abolevit, atque è mentibus hominum obliteravit ea opinio, quæ munera ad movendum ac retribuendum data intendere premittit: ita ſiquidem videmus Clericos, adeò ignominiosè propriis ſtudere divitiis, ut ejuſmodi munera ac retributiones ſectando, nullos ferè unquam pauperes ad beneficia promoveant. Divites rarò, vel nunquam, inquit Author ſermonum ad fratres in eremo apud S. Auguſtinum, pauperibus Sacerdotibus præbendas procurant: & ſi procurant non amore procurant, ſed ut cùm uxore & familiâ de bonis Eccleſiæ gaudere valeant. Et ideò ſciat Sacerdos qui timore vel amore defraudari à divite ſe permittit, quod impunitus non remanebit, & ſi non in præſenti, ſaltem in futuro, igne æterno non carebit. *S. Hieron. ep. ad Nep. Serm. 37.*

†
IHS
♥

§. 2.

Opinio de munerum ac retributionum elargitione, ſpretâ vocatione divinâ viam parat ambitioni.

Ad Hebræos cap. 5. CUm omnis Pontifex (ſeu Clericus) ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituatur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia (ſeu etiam orationes) pro peccatis populi, nemo ſibi ſumere debet honorem, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

Ibidem. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te. Sic & *S. Iſidor. l. 7. etymol. c. 12.* Matthias quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum, ſorte electus eſt, quaſi à Deo deſignatus. Unde etiam Clerici dicti ſunt, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent: κλῆρος enim Græcè, Latinè ſors, *Ep. ad quendã Levitam.* inquit S. Hieronymus, inde hujuſmodi homines vocantur Clerici, ideſt ſorte electi, omnes enim Deus in ſuos elegit.

Ep. ad Nepot. Propterea idem S. Hieronymus hortatur omnem Clericum qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, ut interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolatâ nitatur eſſe quod dicitur, ideſt de Domini ſorte electus. Videte

vocationem veſtram ait Apoſtolus: Conſideremus & nos, inquit S. Bernardus, an vocati venerimus, & vocati à Deo, cujus nimirùm vocatio hæc eſt, ut longâ vitam ſuam quiſque probatione experiatur, nùm Deo placitos mores exhibeat, atque exempla Religioſæ converſationis de ſe præſtet, nùm Clericalibus obſequiis erudiendus inſerviat, & emendatior eſſe populo procuret, qui adorandum pro populo accedit. *In declam.* *Hormiſdas Papa ep. 3. ad Epiſc. hiſp.*

Hæc ſunt præclara fidelium inſtituta, quibus ad Clericalem ordinem præparantur, cumque gratiâ intùs operante ejuſmodi virtutum ac diſciplinæ ſpecimina præſtentur, inde luculenta divinæ vocationis ſumuntur teſtimonia. At verò ex quo hominibus intelligi datur, munera ac retributiones præparanda eſſe, ne ingrati exiſtant, non jam vitam corrigere, non mores componere ſtudent, ſed divitias quibus honor ſacer emitur ſatagunt congregare. Ita quoque cum ſapientia virtuſque nullius fructus præmietur ſtipendiis, nullius famæ eam favoris aura extollat, ipſa pecunia honoris titulos omnes & laudis emit præconia. *S. Greg. l. 7. reg. ep. 114.* *Alanus de Rupe de conqueſt. nat.*

Unde vires ſuas jam paſſim ambitio exerit, ſuæ & alienæ facultatis divitias oſtendit, jamque palam loquitur, & in montem elationis aſcendit & clamat, hæc omnia tibi dabo, ſi cadens promoveris me. *Salesburicēſis l. 7. polycrat. c. 19.*

Hinc etiam curritur paſſim ad ſacros Ordines (ſeu ad beneficia) & reverenda ipſis *S. Bern. ſer. de cōverſ. ad Cleric. c. 29.*

quoque ſpiritibus Angelicis myſteria homines apprehendunt, ſine reverentiâ, ſine conſideratione. Neque enim ſignum regni occupare cœleſtis, aut illius timent imperii geſtare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur ſuperbia; ſed & iniquitas & luxuria etiam principatur.

Salesbur. cit. Omnes quaſi in ſtadii agone contendunt anhelantibus ſingulis ne beneficium accipiat alter: omnes quidem currunt, ſed cùm eò ventum fuerit, unus accipit bravium: Ille videlicet qui in curſu ambitionis ac profuſione muneris aliis velocior extitit, & qui prçcucurrit citius Petro & quovis diſcipulorum Chriſti. Aſcendit autem illicò & omnem celeritatem feſtinatæ vocationis præveniens, Clericus facilè invenitur non elaboratus ſed recens, quantùm ad dignitatem ſimul ſatus & provectus, quemadmodùm gigantes Poëtæ finxerunt. *Cap. 17.* Aſcendit etiam ſecurè, & uti ſibi videtur admodùm religioſè, quia afflante quaſi Doctorum numine ingreditur, cùm nihilominùs clanculò & per impluvium auri, ac ſi per tegulas Jupiter illabatur in gremium Danes, ſic in gremium Eccleſiæ procus deſcenderit inceſtus.

Glaber. l. 2. cap. 6. Sic itaque permaximè quique procaces ac turgore inflati, ſeſe ultrò cuique adminiſtrationi ingerunt, minùs formidantes incurrere lapſum neglectæ Clericalis curæ, quoniam tota ſolummodò pendet fiducia ex loculis collectæ

pecuniæ, non ex perceptæ donis ſapientiæ: tantoque ampliùs adepto regimine ſtudent avaritiæ, quantò conſtat propriam ex illâ ambitionem impleſſe.

Si qui autem reperiantur alii quos virtutum præconia commendare videantur, ipſi non uſquequàque intelligentes, quod, ſicut ait S. Gregorius, licet cœtera cujuſpiam talia vitæ ſint merita, ut nihil ſit quod ex his ſacerdotalibus valeat ordinationibus obviare: tamen ſolius nefas ambitus ſeveriſſimâ divinæ legis canonumque diſtrictione damnetur; cùm inevaſibilis videatur eſſe regula, ut præfixum vulgò pretium, ſeu uti malunt, præmium aut retributio detur, conſilia laxioris diſciplinæ aliorum more ſecuti, quæſtuoſis etiam modis malè ſibi parata Eccleſiaſtica beneficia adipiſcuntur. *Lib. 3. Reg. epiſt. 20.* *Pet. Damiã. ep. de Clericis Mediolan.*

Seu ut ait S. Ambroſius, plerumque videntes pii fraude aliquos & aſtutiâ quæſiſſe divitias & perveniſſe ad honores, æmulatione deformi vias eorum ſequi geſtiunt, ut ad divitias & honores ſimili arte perveniant. *Enarrat. in pſal. 36.*

Hic porrò error in ſubditis ac ſucceſſoribus propagatur cum augmento, nam illi quoque cùm ad ſacrum ordinem præmiis perducantur, jam in ipsâ provectus ſui radice vitiati paratiores ſunt aliis venundare, ſeu pro præmio dare quod emerunt: fitq; ita minùs cautis deceptoria imitandi forma, ac perindè viciſſim contumax invidentia. Undè nihil ſibi in honoribus Ec- *S. Greg. lib. 4. reg. ep. 56* *Glaber. cit.*

S.Greg.l.7. reg.ep.114. cleſiaſticis gravitas, nihil deffendit induſtria; ſed totum auri prophanus amor jam obtinet.

Verùm quid iſtud temeritatis ô Clerice! exclamat S.Bernardus, immò quid inſaniæ eſt? ubi timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio judicii? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi niſi rege introducente præſumit. Tu irreverenter irruis, nec vocatus, nec introductus. Trahe me poſt te, inquit illa, in odorem unguentorum tuorum curremus. Nunc autem trahit ſua quemque voluptas; & odorem turpis lucri ſectantes, quæſtum æſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio. *In declam.*

§. 3.

Qui per munera & retributiones ad Sacerdotia devenerunt, parùm regulariter vivunt in gravem ſui ac plebis perniciem.

S.Greg.l.9. reg.ep.40.

NUnc verò quales eſſe in ſacris Ordinibus ſeu miniſteriis poterunt, qui ad hos non merito, ſed præmio provecti fuêre? Quis etenim ipſorum eâ intentione gradus Eccleſiaſticos & miniſteria ſanctuarii quærit, immò quæritur (quæri nempè quàm quærere ipſe debuerat) ut ſine curis ſœculi in ſanctimoniã cordis & corporis illuminandus accedat ad

S. Bern. in declam.

Digitized by Google

Dominum, & ſuam pariter ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtudio deditus & verbo prædicationis?

Nullus exiſtimo, aut ſanè perrarus: totum quippè iſtud agitur, ut occaſio quædam in abundantiâ & ſecuritate vivendi inveniatur, ut honorifica divini cultus miniſteria in vanitate cordis ſui adipiſcantur, ut honorati incedant de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Ac velut idolo ſibi pro Deo conſtituto Ambitioni ſerviunt, per quam ſcilicet informati ad tale nomen abſque merito vel opere proruperunt. *Salesbur. polycr. lib. 7. cap. 19.* *S. Bern. ſer. 33. in cant.* *Glaber. lib. 2. cap. 6.*

Indè is quem quotidie vides meretricius nitor, (verba ſunt S. Bernardi quæ noſtris etiam Clericis conveniunt, quorum habitus eſt ſæcularis, capillitium in humeros defluens, converſatio in tabernis, &c.) hiſtrionicus habitus, regius apparatus. Indè aurum in frenis, in ſellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent. Indè ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis; indè commeſſationes & ebrietates; indè cythara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud; indè dolia pigmentaria; indè referta marſupia: pro hujuſmodi volunt eſſe Eccleſiarum Beneficiarii, Præpoſiti, Decani, &c. Nec enim meritò hæc cedunt, ſed negotio illi quod perambulat in tenebris. *Ser. 33. cit.*

Intuere, inquit idem, quomodo incedant nitidi & circumamicti varietatibus tanquam *Ibid. ſer. 77.*

ſponſa (vel ſponſus) procedens de talamo ſuo; nonnè ſi quemquam talium repentè eminùs procedentem aſpexeris ſponſam (vel ſponſum) potiùs putabis, quàm ſponſæ cuſtodem? Undè verò hanc illis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſponſæ: indè eſt quod illa pauper, inops & nuda relinquitur, facie miſerandâ, incultâ, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare; non eſt cuſtodire, ſed perdere; non eſt paſcere gregem, ſed mactare, ſed devorare, dicente illis Domino, qui devorant plebem meam ut cibum panis, & quia comederunt Jacob & locum ejus deſolaverunt: & in alio Prophetâ, Peccata populi mei comedent, quaſi dicat peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſolicitudinem non impendunt.

Hujuſmodi præterea Clerici qui miniſteria ſacra præmiis adepti fuêre, cùm propria dare deberent etiam aliena diripiunt. Plerumque ſi quos humiliter, ſi quos continenter vivere conſpiciunt, irrident. In eo autem propenſius, vel deſperatius ſunt, quo non ab Apoſtolis, ſed à Patre eorum diabolo fucata, & nunquam profutura emunt ſacerdotia, quibus cùm ſceleſtæ vitæ ſtructuram ſuperponant, non tamen improperantur à quoquam admiſſa priſca & nova libidinoſæ vitæ flagitia.

S.Greg.Hō. 27. in evāg.

Gildas ſapiēs tract. de corrupt. Eccleſiæ ordine.

Dum verò ipſi otio torpente langueſcunt,

ac

ac nullâ virtutis induſtriâ confortati enerviter vivunt, omnis eorum vita plebi evadit odioſa: hujus quippè tota eſt laborioſa, illorum tota deſidioſa, & ideò utrique fit exitioſa.

Beda l. 3. c. 38. in c. 6. Marci.

Quis autem fructus otii? nullus, niſi diſpendium virtutis; ſic enim ab otioſis ad noxia, à levioribus ad graviora veniunt: otioſitas mater eſt nugarum; noverca virtutum omnium, nutrix omnium peccatorum. Mens otioſa, inquit Caſſianus, nihil aliud cogitare novit, quàm de eſcis; aut quàm de ventre: cachinnis ora diſſolvit, ſcurrilia replicat: ac denique qui otioſâ quiete perfruitur, ait S. Proſper, niſi ſpiritualiter vixerit, more pecudum vivit.

S. Greg. in Paſtor.
S. Ber. in ſer. l. 10. de ſpirit. Acediæ.
S. Hier. in ep.
De vitâ contempl.
S. Greg. in Paſtor.

Quin etiam animum voluptate luxuriæ ſine ullo repugnationis obſtaculo plerumque delectari omninò incredibile non eſt, qui pondus turpitudinis geſtat in corde: quamvis enim fortè prava non exerceat opere; ab his tamen non evellitur mente, nec utique ad uſum boni operis in aperto valet aſſurgere, quia gravat illum in abditis pondus turpe.

Enimverò ſi neminem de ſe talia ſuſpicari velint, inveniatur tandem non irriſoria perfectionis profeſſio; exhibeatur etiam virtus in ſpecie pietatis, non ſit inanis cælibis vitæ forma, & vacua veritatis. Quidni enim periclitetur caſtitas in deliciis; humilitas in divitiis, pietas in negotiis; veritas in multiloquio, charitas in hoc ſæculo nequam.

S. Bern. ſer. de cõverſ. ad clericos c. 30.

Porrò eam quam videmus hodie formam

Idem in declam.

Cleri (illius videlicet qui per munera ac retributiones eſt conſtitutus) ne informem dixerim vitam, à quo Sanctorum habuerint, quis unquam vel in novo vel in veteri Teſtamento ſic vixerit, ſic vivere docuerit homines, utinam ipſi ſeſe interrogent ſinguli, nec conſcientias ſuper hæc convenire proprias diſſimulent: quantos enim videmus ſectatores viarum, quæ videntur quidem hominibus bonæ, ſed in profundum finis earum inferni deſcendit.

Idem ibid. Avertunt nimirùm oculos cordis, & ad conſolationes miſeras convertuntur, aut certè diſſimulationibus aliquibus decipiunt ſemetipſos, & mentitur iniquitas ſibi: ſed & ipsâ conſuetudine & incuriâ ſtupidi & inſenſati corde ferè nihil ſentiunt, niſi quod & vita ſua ſibi nimiùm diſſoluta appareat, & quod intolerabilis ſit ille cruciatus: Tùm enim ſibi ipſis pro libitu tempora metiuntur, & omne quod agunt facilè diluendum deſerendumque quod appetunt, temerariâ præſumptione promittunt.

Ibidem. Odibilis planè Deo frontoſa temeritas & impudentia execranda, inquit S. Bernardus, propter quid enim irritavit impius Deum, exacerbavit peccator Dominum, ut ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non querat? nùm propter fornicationes, inceſtus, aut ſacrilegia? nihil horum Propheta memorat: ſed quod in corde ſuo dixerit, non requiret. Sermo cordis affectio eſt; corde enim dicere non requiret eſt

non expaveſcere exquiſiturum. Hæc impietas cui ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non miſeretur Deus, nec querit, nec arguit, nec flagellat, nec ulciſcitur. Parcitur enim virgæ, quoniam invenitur iniquitas ejus ad odium, non utique ad iram.

An adhuc quærendum eſt, ait idem Sanctus, quis iſte ſit impius; cujus iniquitas invenitur ad odium? in terrâ inquit Sanctorum iniqua geſſit, in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, quæ Sanctorum fuerant uſibus aſſignatæ, cœleſte tenet officium; Angelus Domini exercituum factus eſt, tanquam Angelus aut eligitur aut reprobatur. In terrâ inquit Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini. Miſera ſanè & extremæ planè dementiæ commutatio, hominum declinare laborem, & paratum diabolo ſtridorem eligere ſempiternum. *Ibidem.* *Iſaiæ 26.*

§. 4.

Qui per munera ac retributiones beneficia acceperunt, jugum reſidentiæ excutere ſolent.

OPeræ-pretium videtur aliquid circa reſidentiæ debitum ſpecialiter annotare, quia plerique nunc ei ſe ſatisfacere putant per unius horæ aut etiam per modicam, ne dicam momentaneam dietim comparitionem.

Digitized by Google

Vide Sylveſtrum V. reſidentia n. 1.

Reſidentia ſecundùm Veterum Interpretationem, eſt perſonalis ſolutio officii in proprio beneficio: ex nomine ſuo importat penè continuam ſeſſionem, quia reſidere eſt quaſi iteratò ſedere. Unde & alio nomine aſſiduitas dicitur, propter quam diverſa Canonicorum vel curata beneficia incompatibilia exiſtunt, juxta illud Alexandri III. iſtud eſt omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una vel diverſis Eccleſiis plures dignitates vel perſonatus (idem eſt de præbendis & curatis beneficiis) obtineat. Cùm ſingula officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum. Sic & Canonici inde aſſiſii vocati fuêre.

Vide Duarē. l. 8. de ſacris miniſt. c. 5.

Extra. c. ad hæc de præb. & dignit.

Cap. cum ad hoc. extra. de Cler. non reſident.

Exemplum hujuſmodi aſſiduæ reſidentiæ in Eccleſiâ ſumptum eſt à Moyſe & Aaron, qui in tabernaculo Domini indeſinenter verſabantur. Undè Origenes, ſi quis vult Pontifex (ſivè Canonicus) non tam vocabulo eſſe quàm merito, imitetur Moyſen, imitetur Aaron: quid enim dicitur de eis? quod non diſcedunt à tabernaculo Domini. Qui etiam ſubdit, duo fuiſſe illorum opera quæ ibi exercebant, docere populum & orare pro illo. Diſcebant illi à Domino quod docerent: ſic & Pontifex à Deo diſcat legendo Scripturas, & ſæpiùs meditando, ut populum doceat. Moyſes ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos, ſed orat; & donec iſte orat vincit populus ejus, ſi relaxaverit & dimiſerit manus, populus ejus vincitur & fugatur. Oret ergò & Sacerdos Eccleſiæ

Hom. 6. in Leviticum.

Digitized by Google

indeſinenter, ut vincat populus, qui ſub ipſo eſt, hoſtes inviſibiles Amalechitas, qui ſunt dæmones impugnantes eos, qui volunt piè vivere in Chriſto. Hæc ex Origene.

Porrò non omnes Sacerdotes (ſeu etiam alios Clericos) utrique illi functioni ab exordio Eccleſiæ operam dediſſe, ſatis inſinuare videtur Apoſtolus, dum ait, Presbyteros duplici honore dignos eſſe, maximè qui præſunt in verbo, terminus quippè, maximè, ſignificat diſcretionem aliquam ab iis, qui non præſunt in verbo.

Sic & Euſebius ſcribit, quod cùm Conſtantinus Imperator inſiſteret operi ædificandarum Eccleſiarum, habuerit Sacerdotes, quorum alii, inquit celebri rerum divinarum apparatu, qui è ſacris monumentis depromebatur, præſentibus convivium, quo & animas & aures dapibus, & reliquo deliciarum genere paſcerent, inſtruebãt. Alii qui nihil horum potuerunt efficere, incruentis ſacrificiis & myſticis conſecrationibus, divinum Numen placabant, ſupplices Deo preces pro communi pace, pro Eccleſiâ Dei, ipſoque Imperatore offerebant. *In vita ejus lib. 4. c. 44.*

Hinc ortum habuit celeberrimus Conventus Canonicorum, qui cùm nec miniſterio Verbi divini, nec adminiſtrationi Sacramentorum ex officio ſuo applicentur: toti debent incumbere in orationibus ad Deum pro populo fundendis; ac diu noctuque debitum officium in ſeptem horas diſtributum ſecundùm ordina-

tam cujuſque Eccleſiæ conſuetudinem perſolvere. Ita olim Innocentius III. in Concilio Lateranenſi declaravit dicens : diſtrictè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis dederit Deus ſtudiosè celebrent pariter & devotè.

Cap. 17. refertur extra. c. dolentes de celebr. miſſ.

Quamvis autem debitum ſervitutis ſuæ penſum, ex Concilio Agathenſi, horis competentibus juxta poſſibilitatem, aut à ſe, aut à ſcholaribus publicè complere permittantur. Concilium tamen Tridentinum recenter decrevit, quod omnes divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, atque in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtinctè, devotèque laudare.

Ibid. cap. 1.

Seſſ. 24. cap 12. de refor.

Ea quoque mens fuit Juſtiniani Imperatoris, qui ita decernit : Sancimus ut omnes Clerici per ſeipſos pſallant nocturna, & matutina, & veſpertina, nè ex ſolâ Eccleſiaſticarum rerum conſumptione Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa lyturgiam Domini.

Tit. 3. Cod. de Epiſc. & Cler.

Cœterùm ubi laudabile iſtud Concilii Tridentini decretum non eſt receptum, ſic tamen Canonici frequentare debent officium publicum, ſicut ſi per ſeipſos pſalmodiam concinerent : quia hoc importat obligatio reſidentiæ, ut videlicet ſint aſſidui. Sicut autem illi non æſtimarent Choriſtas ſuos eſſe aſſiduos, niſi

per ſingulas horas ſaltem præcipuas (quales ſunt Matutinum cum Laudibus, Miſſa Conventualis, & Veſperæ cum Completorio) munus ſuum exequerentur: ita nec ipſi munus ſuum implere credendi ſunt, niſi per ejuſmodi ad orandum comparitiones: In quo enim alterum judicas, inquit Apoſtolus, te ipſum condemnas.

Propterea Synodus Colonienſis ait illos aberrare, qui ſe non alicujus officii in Eccleſiâ exercendi, ſed quietis & inertiæ tantùm causâ Canonicatum exiſtimant adeptos; perindè atque ſatis ſit, paucis quibuſdam Clericis admodùm ignaris tenui pretio conductis curam divini officii committi: quod deindè ejuſmodi mercenarii ſyncopando tranſcurrunt, interim Canonicis totâ vitâ torpentibus. *Sub Hermãno Archiep.*

Hoc poſtulat Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, decus; ut videlicet miniſtri ejus competenter conveniant ad obſequium altiſſimo exhibendum: juxta illud Pſaltis Regii: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Decorem domus non dicit, ait Caſſiodorus, pulchritudinem parietum, aut miniſtrorum pretioſiſſimos apparatus, ſed ipſorum actuum beatiſſimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Eccleſia, ſcilicet in pſalmorum jubilatione, in precum ſanctitate, in Chriſtiani populi devotione. *In pſal. 25.*

Hoc dictat ipſa ratio per Apoſtolũ declarata, *Ad Rom. 12.*
ut ſit rationabile obſequium, ut qui non laborat

Concil. Agath. c. 36. non mãducet. Hoc Eccleſiæ inſtitutio præcipit, ut videlicet ſtipendia ſanctis laboribus debita, non aliter, quàm ſecundùm ſervitii meritum reddantur; ſeu quatenus officium divinum no- *Extra. c. dolentes de celebr. miſſar.* cturnum & diurnum ſtudioſè & devotè celebraverint, nimirùm in Eccleſiâ. Beneficium quippè datur propter officium, non utique *Cap. cum ad hoc. extra. de cler. nõ reſid.* propter horas privatim recitatas, ſed quatenùs in Eccleſiâ aſſiduè reſidetur, ipſique Eccleſiæ congruè deſervitur, ſicut ſupradictum eſt.

Hoc fundatorum plebiſque exigit intentio, qui propterea bona ſua in Clerum contulerunt, ut laudabile obſequium, & congruum ſervitutis miniſterium Deo exhiberet: ut in officio & orationibus vices ſuas ſuppleret, & ut beneficia pro ſe impetraret, ut pro impetratis gratias ageret, atque ut pro peccatis à ſe commiſſis deprecaretur: undè qui hæc non præſti- *Cõc. Carth. 4. c. 95. Vaſenſe 1. c. 4.* terint fraudatores votorum fidelium, & egentium necatores animarum, nec credentes judicium Dei, ſecundùm Patrum teſtimonia habendi ſunt.

Caſſiodor. l. 5. epiſt. 41. At verò mutavit quaſlibet largitates malorum ſervientium manus, ac ſicut fontis puritas per limoſa corrumpitur, ſic affluentia bonorum fidelium malis diſtributoribus immutata eſt. Ex quo utique per munera ac diſtributiones beneficia comparantur, per exiguas comparitiones Clerici jam debitum ſervitutis *S. Ambroſ. in pſal. 118.* ſuæ officium impleviſſe ſe arbitrantur: venit enim avaritia & dicit, argentum & aurum

Digitized by Google

quod dediſti ſervitutis tuæ pretium eſt, poſſeſſio quam tenes juris tui emptio eſt. Atque ita mortiferâ hujus perſuaſionis illecebrâ multi nunc irretiuntur, ut ſocordiæ ſuæ ignavam turpitudinem non diſpiciant: nimirùm nulla deſpectio obſiſtit, cui diabolus pingens ſpecioſum facit, quidquid fœdum & horridum fuerit.

Author lib. de ſingular. Cleric. apud S. Auguſt.

Quâpropter contemplamini ô Clerici, inquit S. Auguſtinus, quid ſit populo ſancto præeſſe, & conſiderate quale ſit divinis Sacramentis inſiſtere. Altari vacare debent, qui de altari vivunt: & talis convenit cura ſinceritatis Sacramentis, qualia ſunt ipſa Sacramenta quibus exhibent officia ſervitutis, ne offendant contra Deum, ipſa quæ tractant, aut contra populum incipiant impedire, quod prædicant.

Ibid.

Quid nos ô Paſtores (ô Clerici) agimus, inquit S. Gregorius, quando mercedem conſequimur, & tamen operarii nequaquam ſumus? fructus quippe Sanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æternâ Eccleſiâ minimè in prædicatione (aut oratione) laboramus. Penſemus cujus damnationis ſit ſine labore hanc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, ſed quid pro animabus fidelium laboramus? illa in noſtrum ſtipendium ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis ſtudio, vel prædicationis, ut

Hom. 7. ad illud, dignus operarius, &c.

Digitized by Google

digrum eſt inſudamus.

In declam.

Væ tibi ô Clerice, inquit Sanctus Bernardus, mors in ollâ, mors in ollis carnium, mors in hujuſmodi deliciis eſt, non modò quia ſecùs introitum delectationis poſita eſſe cognoſcitur, ſed ob id maximè, quia populi conſtat eſſe peccata quæ comedis: ſumptus Eccleſiaſticos gratis accipere te reputas? cantando (ut aiunt) tibi provenire videntur, ſed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare: peccata enim populi comedis, ac ſi propria tibi minùs ſufficere viderentur. Solicitus eſto tanquam redditurus rationem pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioquin tibi ea noveris imputanda, quæ modò inter delicias comedis, & parvipendis, & diſſimulas tanquam nihil attinentia tibi. O judiciorum Dei abyſſus multa, ô terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! Fruſtrà tunc incipient miſeri dicere montibus, Cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Venient, venient ante tribunal Chriſti, audietur populorum querela gravis; accuſatio dura, quorum vixêre ſtipendiis, nec diluêre peccata, quibus facti ſunt duces cæci, fraudulenti mediatores.

§. 5.

Exitialis eſt Eccleſiæ oblatio munerum, ac retributionum gratificatio.

DUm hanc vitiorum omnium quibus Eccleſia ſcatet ingluviem attentiùs perpendo, non poſſum non exclamare cum S. Bernardo: quàm confuſi pedes Evangeliſantium, pacem, Evangeliſantium bona! Diximus pax, & non eſt pax, promiſimus bona, & ecce turbatio. *Lib. 2. de cõſid. cap. 1.*

Olim ſanè prædictum eſt, & nunc tempus impletionis adveniſſe videtur: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: amara priùs in nece martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita invaluerunt & multiplicati ſunt ſuper numerum, inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ; & ideò in pace amaritudo ejus amariſſima: ſed in pace, & pax eſt & non eſt pax: pax à paganis & pax ab hæreticis, ſed non profectò à filiis. Vox plangẽtis in tempore iſto, filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me, & maculaverunt me, à turpi vitâ, à turpi quæſtu, à turpi commercio, à negotio denique perambulante in tenebris. Myſticè templum Dei eſt *Idem ſerm. in 33. cant.*

Eccleſia Chriſti, inquit Origenes, ſunt autem multi in eâ, non ſicut decet viventes ſpiritualiter, ſed ſecundùm carnem militant, qui domum orationis de lapidibus vivis conſtructam, faciunt ſpeluncam latronum actibus ſuis.

S. Auguſt. in pſal. 29. Enimverò tormenta animi non ſentit in Eccleſiâ, qui non proficit, putat enim quia pax eſt, ſed incipiat proficere, & tunc videbit in quâ preſſurâ eſt, quia cùm creviſſet herba & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.

Glaber. lib. 2. cap. 6. Tanta utique eluvio malorum, præ quâ omnis vaſtitas à potente veniens ludicra videri poſſit, malignitati & virulentiæ cauſæ, à quâ dimanat, ſatis ſuperque atteſtatur: ut nunc etiam

In epiſt. cum Caſſiodoro dici meritò poſſit, oblatio muneris ſeu retributionis tinea eſt regiminis.

S. Chryſoſt. tractat. de Symbol. Quapropter quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis quod aliquam culpam habeat circa radicem: ita dum inordinatam, nunc & indiſciplinatam plurium Clericorum vitam non ſine mœrore ſpectamus, malorum omnium cauſam eſſe munerum ac retributionum gratificationem omninò non eſt ambigendum. Quæ videlicet crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutis

S. Bern. lib. 3. de conſid. cap. 4. cujuſdam larvatæ. Abſit enim ut conſentiam virtutem eſſe, quæ tot illicita parturit.

Pet. Raulin. in ſerm. Ipſa eſt ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea ſanctitatis.

Digitized by Google

Hæc eſt tranſgreſſionis mater, magiſtra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiæ, ſicaria diſciplinæ, ſeditionis origo, fovea ſcandalorum. Parit illa ambitionem ac cupiditatem, quæ ſicut omnium malorum radix eſt, omnia ſacrilegia in aperto committit. Illa improbat mala, & deteſtatur iniqua.

Sed alia cum aliis probat & improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur, ut approbetur, qui tanquam indignus repellendus fuerat. Colludunt ad invicem mater & filia, gratificatio & ambitio ſeu cupiditas, hæc vendicat ſibi publicum, illa ſecretum. Ita multos mortales falſos efficiunt, aliud clauſum in pectore, aliud in linguâ promptum habere: amicitias non ex re, ſed ex commodo æſtimare, magiſque vultum quàm ingenium hominum in pretio habere. *Innocentius de vilit. conditionis humanæ.* *Tullius in Rhetor.*

Itaque peremptorium eſt in Eccleſiâ vel auram adorare munerum, vel favorem quærere retributionum: teſte ſiquidem Prophetâ, in in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus. Tranſibunt autem iniquitates in pœnam & munera in dolorem, quia teſtimonio Job, ignis devorabit tabernacula eorum qui libenter munera accipiunt. Ita nimirum Sacerdotali ordine ab ipſis fundamentis labefactato ferale exitium exinde ſecuturum ſummoperè eſt pertimeſcendum: ſicut & S. Gregorius proteſtatur dicens, quibuſdã narrantibus agnovi quod in illis partibus *Petr. Bleſ.* *Lib. 4. Reg. epiſt. 56.*

nullus ad ſacrum Ordinem ſine commodidatione perveniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio, quia cùm Sacerdotalis Ordo intùs cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit.

CAPUT NONUM.

Sicut Veteres Simoniaci turpes quæſtus ſuos munerum aut gratificationum prætextu velabant, ita Patres illa tanquam Simoniaca averſati fuêre.

§. I.

Simoniaci à Judæis & Montaniſtis hunc prætextum mutuati ſunt, quod non pretia, ſed munera, tantùm ad movendum vel ad retribuendum offerrent.

HÆc eſt antiqua ſimulatio eorum nummulariorum, qui in templo Hieroſolymitano pecunias ſolebant iis ſubminiſtrare, qui ad offerendum Domino accedebant: cùm enim à

Digitized by Google

lege prohiberentur, fœnus ex mutuatâ pecuniâ requirere, ipſi munuſcula quædam alterius ſpeciei ſibi dari quaſi ex gratitudine poſtulabant. Alii pro pecuniâ fœneratâ ſolent munuſcula accipere diverſi generis, inquit S. Hieronymus, & non intelligunt uſuram appellari & ſuperabundantiam, quidquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint. *Vide S. Hieron. ad cap. 21. Matth.* *Ad cap. 18. Ezechiel.*

Sciendum quidem eſt, inquit idem, quod juxta mandata legis in venerabili toto orbe templo Domini, & de cunctis pœnè regionibus Judæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maximè feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum, pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum & turtures offerentibus. Accidebat autem ut qui de longè venerant victimas non haberent: excogitaverunt igitur Sacerdotes quod prædam de populo facerent, & omnia animalia quibus opus erat ad ſacrificia vendebant: & ut venderent non habentibus, & ut ipſi rursùs empta ſuſciperent. Hanc ſtropham, ideſt fraudem ſe in diverſa vertentem, crebrò venientium inopia diſſipabat quia indigebant, ſumptibus, & non ſolùm hoſtias non habebant, ſed nec unde emerent. Poſuerunt itaque nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege præceptum, ut nemo uſuras acciperet: & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet & interdùm perderetur: ſortem excogi- *In Matth. citat.*

taverunt & aliam thechuyn ideſt artem, ut pro nummulariis collibiſtas facerent: hujus verbi proprietatem Latina lingua non exprimit. Colliba apud illos, quod nos appellamus tragemata vel vilia munuſcula, v. g. frixi ciceris, uvarumque paſſarum, & poma diverſi generis. Igitur quia uſuras accipere non poterant collibiſtæ pro uſuris, accipiebant varias ſpecies. Ut quia in nummo non licebat in his rebus exigerent quæ nummis coëmuntur. Quaſi non hoc ipſum Ezechiel prædicaverit dicens: Uſuram & ſuperabundantiam non accipietis. Iſtiuſmodi Dominus cernens in domo Patris negotiationem ſeu latrocinium, ardore Spiritus concitatus tantam hominum multitudinem ejecit de templo. Ita ille.

In Concil. Rom. Unde Benedictus VII. Papa alludens ad iſtum Judæorum dolum, excuſationem Simoniacorum ſui temporis refert his verbis: Denique invenerunt ſibi quoddam ingeniolum, ut perſuaderent filiis Iſraël de longinquo venientibus, ut victimas ſecum non deferrent, ſed munera. Hanc autem aſtutiam ipſe quoque tanquam Simoniacam condemnat, anathematizando omnes, qui pro ordinatione, aliquod, inquit, præmium accipiunt, vocatque turpiſſimum lucrum, exemplo Simonis Magi captatum.

Lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 16 Sic Euſebius Cæſareënſis refert Montanum exactores pecuniæ ſtatuiſſe, qui ſub nomine oblationum munera artificioſiùs acciperent.

Ita

Ita quoque Sigebertus de Simoniacis ſui temporis refert, quod cùm Gregorius VII. Pontifex eos in Synodo Romanâ anathematiſaſſet, illi turbulenter reſtiterint, aliis à Simoniâ non declinantibus; inquit, notam avaritiæ honeſto nomine prætexuiſſe; dum hoc quod ſe gratis dare jactant, ſub charitatis nomine vendunt, ut de Montanis dicit Euſebius; ſub nomine oblationis artificioſius munera accipiunt. Sic etiam Joannes Diaconus ait S. Gregorium agnoviſſe aliquos munera peſtifera negotiationis callidè vocare paſtellaticum, ac hujuſmodi mutato nomine ſuæ cupiditatis avaritiam velle contegere. *In Chron. ann. 1074.* *In ejus vitâ l. 3. cap. 5.*

Hæc ſanè fuit cauſa, cur Simoniaci illi pecunias darent ante vel poſt receptionem beneficiorum, ſicut ſupra notatum eſt: Et ideò dixit Salesburienſis; jam palam emuntur omnia, niſi modeſtia venditoris impediat; & quia hæc per ſe non veniunt in commercium, licitè & juſtè acquiri creduntur, ſi præempta fuerint. *Lib. 7. Polycr. cap. 17*

Cùm verò hujuſmodi munerum elargitio per ſe neſcio quid turpitudinis præ ſe ferret, omninò cavebant Simoniaci nè propalàm darent, ſed ſecretò & quaſi inadvertenter pecunias in manus beneficorum ſuorum ingerebant. Alius, inquit idem Salesburienſis, in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculò tamen per impluvium auri in Eccleſiæ gremium illabitur. Eodem quoque modo de poſt beneficium acceptum pecuniis compen- *Ibid.*

Digitized by Google

ſabant: undè ſubjungit, alium colluſione quâdam vocantis liberalitas prævenit; ſed poſtmodùm collatam gratiam ſuo Giezi pleniùs compenſabit.

Ep. ad Boniſ. Card. Sic Petrus Damiani eorum artes deſcribens, ait: Quilibet curialis Epiſcopus hos muneribus attrahit, illis beneficia lautiora concedit; ſic à quibus non erat electus eligitur. Undè concludit, quod eâ ratione in voraginem Simoniacæ hæreſeos, dum extolli conatur, ſe immergat. *Opuſc. 31. cap. 5.* Quod verò attinet ad retributiones, ait etiam, Nõnulli hanc circa ſe reperiuntur habere cuſtodiam, ut judicialis adhuc cauſæ pendente negotio nihil etiam ab offerente ſuſcipiant, ſopitis verò litibus gratis oblata non ſpernant. *Ep. ad Epiſc Cardinales.* Sunt nonnulli, inquit alibi, qui vel antequam conſecrationis exhibeant miniſterium, vel ante deciſum cauſæ negotium nullum pacti ſunt commodum: poſtmodùm verò tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer inſiſtunt (videlicet taxando ingratitudinem) hi Giezi non dubitent crimen incurrere, qui poſtquam Naaman curatus eſt, jam revertens de S. Spiritus dono auſus eſt pecuniam poſtulare.

Ex his apparet veteres Simoniacos cùm nullum pactum iniviſſent, intendiſſe dare pecuniam pro beneficiis, non tanquam pretium, ſed ſolummodò tanquam munus ad movendum, aut gratuitam recompenſationem: qui nihilominus hæreſeos condemnati fuêre, &

comparati Giezi, qui pecuniam non ex pacto, aut tanquam pretium accepit, ſed veluti remunerationem curationis factæ ab Eliſæo hero ſuo.

Undè Adrianus VI. ante noſtra tempora eandem excuſationem veterum Simoniacorum referens redarguensque ait: nullum pactum fuit Simonis Magi, pecuniam obtulit, poteſtatem ſibi dari petiit. Atque inde concludit, quod etiam cùm ſine pacto fit per oblationem pecuniæ eâ tantùm intentione factam à Simoniâ liberum non haberi. *Quodlib. 9. quæſt. 2.*

§ 2.

Leges Divinæ & Humanæ Simoniam reprobantes, non tam modum contractus, quàm avaritiam & turpem quæſtum ſpectarunt.

Sicut filii iniquitatis authore primo parente cupiditatum ſuarum turpitudinem nuditatemque verborum cortice ac foliis obvolvere conantur: ita filii lucis, qui veritatem ac juſtitiam diligunt, nonniſi ex medullâ ſeu ſenſu leges tùm divinas, tùm humanas intelligendas eſſe cenſent. Norunt enim illum committere in legem, qui legis verba complectens contra *Reg. ultim. juris in 6.*

L. non dubiũ 5. Cod. de legibus.

legis nititur voluntatem: nec pœnas legibus inſertas evitare, qui ſe contra juris ſententiam ſævâ prærogativâ verborum fraudulenter excuſat.

Ita probati quique Doctores non aliam fuiſſe mentem legum contractus Simoniacos vetantium paſſim tradiderunt, quàm turpis lucri cupiditatem ſeu avaritiam execrari. Ex illo videlicet naturali principio, quod nullum vitium turpius ſit quàm avaritia, præſertim in Principibus & rempublicam adminiſtrãtibus. Undè & Claudianus ita canit, Trudis avaritiam, cujus fœdiſſima nutrix ambitio, quæ veſtibulis foribusque potentum excubat, & pretiis commercia poſcit honoris pulſa ſimul. Sin autem habere quæſtui rempublicam, non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium: quantò deteſtabilius flagitium eſt Eccleſiaſticam adminiſtrationem quęſtuoſis machinationibus adipiſci diſtrahivè.

Tullius lib. 2. offic.

Lib. 2. in laud. Stilic.

Hæc eſt utique exoſa ſimoniacæ perverſitatis turpitudo, quam Deus Sanctique omnes fuêre execrati. Avaritia planè Dei omnipotentis iram adversùm ſe provocat, inquit Petrus Damiani in hanc rem, & cor quod poſſidet vanis ſemper cogitationibus vexat. Hinc eſt quod de avaro conqueritur populo, dicens, propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum & percuſſi eum.

Opuſc. 31. cap. 1.

Iſaiæ 57.

Hæc eſt abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto, quæ prædicta eſt à Daniele

Matth. 24.

Prophetâ, crimen videlicet idololatriæ: Cùm enim omnis avaritia idolorum ſit ſervitus, inquit S. Gregorius, quiſquis hanc & maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni ſubjicitur, etiamſi tenere fidem quam negligit videatur. *lib. 9. ep. 53. ad Theodor. Regem.*

Hæc eſt quæ opera Balaam, Giezi & Simonis Magi ſuâ contagione infecit. Ecce quid utilitatis conferat avaritia, inquit Petrus Damiani, quæ dum fidem hominis tollit, Prophetam vertit in magum. Loquitur de Balaam. Omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis ſuis poſſident, ait S. Ambroſius, & malè quæſitâ mercede, non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum congregarunt, æterno ſupplicio & brevi fructu. Sic etiam Urbanus II. ait: Nec Apoſtolus emptionem Spiritus ſancti (quam benè fieri non poſſe noverat) ſed ambitionem quæſtus talis & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus, in eodem Simone exhorruit, & maledictionis jaculo perculit. *Opuſc. 31. cap. 4.* *Lib. 4. ad 4. cap. Luc.* *Apud Grat. 1. q. 3. cap. Salvator.*

Denique hæc ipſa eſt, quæ benè conſtitutum Eccleſiæ ſtatum, ſicut ſupradictum eſt, penitùs labefactat. Quod enim Apollo Pythius oraculo edidit, inquit Tullius, Spartam nullâ re aliâ, niſi avaritiâ eſſe perituram: id videtur non ſolùm Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. *2. Offic.*

Quapropter multipliciter, multiſque modis

Epiſt. ad Adrian. pap. tom. 7. Cõcil ſeſſ. 6. Nyce. 2. loquitur nomine totius Synodi.

ex Evangelio, & Apoſtolorum, Patrumque præceptis docemur, ait Taraſius Conſtantinopolitanus, in ſanctificatione Sacerdotii mores ab avaritiâ longè alienos præſtare, neque in ullius ſacerdotalis viri ordinatione aurum argentumvè accipere, aut aliud quidquam nobis vendicare.

Deindè citato Canone Chalcedonenſi, epiſtolâ Gennadii, & Canone 22. Synodi ſextæ, videlicet in Trullo, appoſitâ comparatione gratuitæ redemptionis hominum, (hæc utique eſt laus, quæ de Meſſiâ venturo prædicitur apud Iſaiam, ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam, & omnes vias ejus dirigam: ipſe ædificabit Civitatem meam (Eccleſiam) & captivitatem meam, redimendo genus humanum, dimittet non in pretio neque in muneribus dicit Dominus Deus exercituum; oſtendit quomodò ex mente Scripturæ, Conciliorum & Patrum oporteat animum in ordinationibus, ſeu beneficiorum collatione ab omni labe avaritiæ eſſe defœcatum.

Cap. 45.

Ibid.

Audiamus hæc omnia & auribus percipiamus, inquit Taraſius, non ſolùm Pontifices, ſed & Sacerdotes, & qui in Clero connumerantur, ſed & omnes qui orbem habitamus terrarum; oportet enim abundantiùs nos intendere quæ audiſtis. Quia non corruptibilibus argento & auro redempti ſumus, ſed pretioſo ſanguine Agni immaculati & incontaminati Jeſu Chriſti. Sic nos docet Vir ſanctiſ-

ſime (Adrianum alloquitur) cum fiduciâ ut auferatur, pœnitùs aboleatur impoſitio manuum, quæ fit per pecunias, necnon & hanc propter avaritiam, injuſtitiam & acquiſitionem turpis lucri gratiâ. Sequitur. Hæc enim unà cum his quæ cum illâ conveniunt à populo acquiſitionis, quæ nomine Chriſti cenſetur, & gratis conſecutus eſt redemptionem ablata omnia contagia, quæ nequitiam ſequuntur; radicitùs amputabuntur, & Sacerdotes ut palma florebunt, Chriſti odorem iis qui ſalvi fiunt inſpirantes. Ita ille.

§. 3.

Propter labem avaritiæ Scriptura paſſim deteſtatur munera & retributiones, in iis rebus, quæ gratis fieri debent.

CUm autem in munerum ac retributionum largitione aut captatione non minùs exerceatur avaritiæ ſeu commodi proprii quæſtus, quàm in pactis ac contractibus expreſſis: Sacra Scriptura dona & gratificationes paſſim deteſtatur in iis rebus, de quibus paciſci per leges prohibetur, aut ubi corruptionum prævaricationes timentur.

Sic in lege ſcribitur, ne accipias munera, quæ etiam excœcant prudentes, ſed & *Exod. 23.*

ſubvertunt verba juſtorum.

Cap. 16. In Deuteronomio non diſſimile eſt quod dicitur, non accipies perſonam nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum.

Cap. 17. In Proverbiis quoque legitur, munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii.

Num. 22. Sic cùm Balach occidiſſet boves & oves miſit ad Balaam & principes qui cum eo erant munera, quibus ipſe corruptus venit ut malediceret populo Dei.

Cap. 5. Væ, inquit Iſaias, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.

Cap. 20. Pollui eos in muneribus ſuis, ait Ezechiel: *Cap. 22.* munera acceperunt apud te, meique oblita es, ait Dominus.

Ne autem quiſpiam crederet munera ſolùm prohiberi propter corruptionem quam nata ſunt cauſare, proponitur hominibus Deus in exemplum, quia perſonam non accipit nec *Deuter. 10.* munera. Ideò etiam injuſtitia conſequens ſpecialiter diſtinguitur ab acceptione munerum, *2. Par. 19.* dum dicitur: Non eſt apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, *Eccleſ. 40.* nec cupido munerum. Item, omne munus & iniquitas delebitur, & fides in ſæculum ſtabit.

Cap. 15. Sic apud Job legitur, Congregatio hyprocritæ ſterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Et in *Cap. 15.* Proverbiis, Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam, qui autem odit munera, vivet.

Digitized by Google

Denique Dominus per Iſaiam conqueritur, dicens, Principes tui infideles ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Cap. 1.

Ad quæ verba animadvertens Petrus Damiani ait, Notandum quod dicitur, diligunt munera, ſequuntur retributiones: quia quamvis munificis ſuis auxilium quod præſtolantur impendunt (ſeu injuſtitiam non committunt) reatus tamen maculas non evadunt, quia dum Beneficii ſui talionem recipiunt, fructus æternæ mercedis amittunt: de quibus & paulò poſt dicit, heu conſolabor ſuper hoſtibus meis & vindicabor de inimicis meis. Filii planè Samuëlis nullum aliud crimen habuiſſe leguntur, niſi quia munera dilexerunt, & quia paternæ munditiæ non ſequebantur exemplum, amiſerunt irrecuperabiliter Iſraëliticæ plebis principatum. Hæc ille. Opuſc. 31. cap. 1.

§. 4.

Hinc etiam Concilia & Patres munera & retributiones in diſtributione Beneficiorum tanquam Simoniaca condemnarunt.

PLura proſtant in Conciliorum decretis ac ſcriptis Patrum teſtimonia, quibus illi omnem munerum gratificationem in ordinatio-

nibus ſeu beneficiorum diſtributionibus deteſtantur. Ex iis pauca defunctoriè tantùm nunc proponemus, cùm pleraque alia in decurſu hujus tractatus reperiantur.

Cap. 3. Concilium Bracarenſe ſecundum ait. Placuit, ut de ordinatione Clericorum Epiſcopi munera nulla accipiant, ſicut ſcriptum eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et infrà: Oportet non per gratiam munerum, ſed per diligentem prius diſcuſſionem, deinde per multorum teſtimonium Clericos ordinare.

Cap. 4. Synodus Toletana ſexta: Quicumque Simonis imitator ſimoniacæ quoque hæreſis extiterit ſectator, ut Eccleſiaſticorum ordinum gradus non dignitate morum obtineat, ſed munerum impenſione conquirat, & per oblata munera capiat, quibus hanc nec rationis ordo, nec dignitas morum ulla commendat, talis inventus ſacrorum apices ordinum nullo modo adipiſci permittatur. Sed & ſi adeptus fuerit, communione privatus cum ordinatoribus ſuis propriorum bonorum amiſſione damnetur.

Cap. 10. Concilium Aurelianenſe quintum ait: Nulli Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci: eum qui per præmia ordinatus fuerit ſtatuimus removendum.

Act. 1. anathemat. 7. Synodus ſeptima: Omnis Epiſcopus vel Presbyter aut Diaconus, convictus quod pro muneribus ordinationem dederit vel acce-

perit, à Sacerdotio cadit.

Symmachus Papa prohibet: ne quis Clericos vel cives ad ſubſcribendum (electionibus) præmiis quibuſlibet exhortetur. *Ep. ad Ceſar. epiſ.*

S. Iſidorus, his igitur lege Patrum cavetur, ut honoris gradus per ambitiones non ſubeant, pro beneficiis medicinæ Dei beneficia non accipiant. *Lib. 2. de off. eccl. cap. 2.*

S. Gregorius ait: ne unquam ordinationes facere tentetis illicitas, ſed ſi quos ad Clericatus ordinem promoveri contigerit, non præmiis aut precibus, ſed meritis ordinentur. *Lib. 4. Reg. ep. 8.*

Quinimmò eam probationem ad convincendum aliquem de Simoniâ ſufficientem eſſe cenſet, ſi munera obtuliſſe detectus foret. Ita ſubtiliter exquiri deſiderat, ſi non per Simoniacam hæreſim: ideſt præmia quibuſdam ſe eligentibus præbendo ad Sacerdotale quis pertingere officium conatur. *Lib. 5. Reg. ep. 26.*

Rothomagenſis quædam Synodus ait: Sancitum eſt atque omnibus modis prohibitum, ut ſi quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico vel laïco munera dare vel dediſſe, aut aliam pecuniam tribuere, ut vacantem Eccleſiam pretio redimat, pro hac cupiditate ſeu præſumptione turpis lucri gratiâ dejiciatur à Clero, & alienus exiſtat à regulâ. *Apud Grat. 7. q. 1. cap. ſancitum.*

Hinc autem prodiit famoſa diſtinctio triplicis generis munerum, quibus Simonia committi dicitur: videlicet, ſi res vel actio vel

Digitized by Google

ſermo ad acquiſitionem rei ſpiritualis offertur. Tres ſunt munerum acceptiones, inquit S. Iſidorus, quibus contra juſtitiam humana vanitas militat, ideſt favor amicitiarum, adulatio laudis, & temporalis acceptio muneris. Facilius autem pervertitur animus rei corporeæ munere, quàm gratiæ laudiſque favore.

Lib. 1. de sũmo bono.

Hom. 4. in Evang.

S. Gregorius cùm juſtum virum deſcriberet Propheta, inquit, ait qui excutit manus ſuas ab omni munere, neq; enim dicit, qui excutit manus ſuas à munere, ſed adjunxit ab omni, quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à linguâ. Munus quippè ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa: munus à manu pecunia eſt: munus à linguâ favor. Idem repetit Petrus Damiani in epiſt. ad Bonifacium Cardinalem Albanenſem.

In c. 1. ep. ad Tit.

Ante hos S. Hieronymus idem quoque ſic expreſſit: Cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſiâ colũnas erigere, quos plus agnoſcant Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant, vel quorũ ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, vel ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent muneribus impetrarunt.

Cùm verò quidam exiſtimarent nullam eſſe Simoniam, dum munus ab obſequio præſtabant, eò quod nulla pecunia interveniret, & pactio omnis devitaretur: eos nihilominus Patres Simoniæ accuſaverunt, quod intentione prælationis Eccleſiæ potentibus perſonis ea

ſervitia deferrent. Ita loquitur Gregorius VII. Papa confirmans Primatum Lugdunenſis Eccleſię ſupra quatuor Provincias Gebuino ejuſq; ſucceſſoribus: His tantùm, inquit, qui nullo interveniente munere electi vel promoti fuerint, videlicet à manu, ab obſequio, à linguâ. A manu, ut nullum prorſus pretium à ſe vel ab alio tribuatur; (pretiũ vocat omne munus quod intentione prælationis datur; ſicut patet ex his verbis.) Ab obſequio, ut nihil indè ſervitii faciat, ſicut quidam intentione Eccleſiæ prælationis potentibus perſonis ſolent deferre. A linguâ, ut neque per ſe; neque per ſubmiſſam perſonam preces effundat: ſed neque his qui per ſæcularem poteſtatem ad hanc dignitatem pervenerunt, videlicet dono vel confirmatione alicujus perſonæ, quæ ſanctæ religioni videatur obviare, & contra puram & authenticam ſanctorum Patrum authoritatem venire; ſed iis qui purâ & ſincerâ electione tibi ſucceſſerint, & ita per oſtium intraverint, ſicut fraternitatem tuam cognovimus intraſſe. His verò qui aliter intraverint, videlicet qui juxta Dominicam ſententiam non per oſtium, ſed aliundè, ut fures & latrones aſcenderint, non ſolùm primatum hujus dignitatis concedimus, verùm etiam omni honore Eccleſiaſtici regiminis indignos & alienos fore adjudicamus. *Ep. ad Geb. Lugdun.*

Petrus verò Damiani in eâ re ſic diſcurrit: quàm ſui excuſationem afferent, qui licet verbis *Ep. ad Cardin. Epiſc.*

non contraxerint venalis pacta commercii; operatione tamen non uno, ſed omnibus his probantur laqueis irretiti? Verumtamen jactant ſe, & eo gloriantur innoxios, quia nullam talenti ſummam pro ſuſcipiendis honoribus ſe pepigêre daturos. Sed dic mihi ô Clerice quiſquis es, ſi redempto quolibet aureo vaſe vel prædio diſtractor exigeret, ut retenti apud te vice pretii hujuſmodi ſibi ſedulitatis impendium exhiberes: numquid non poſtmodùm conſtanter aſſereres, te quod acceptum eſt juſto pretio comparaſſe? diceres enim & hoc fortaſſis non impudenter aſtrueres: carius emi, dum tanto me labore vexarem, dùm toties facultatum mearum ſumptus expenderem, quàm ſi ſemel præfixæ quantitatis pecuniam numerarem.

§. 5.

Eâdem de causâ Viri Sancti ſemper munera deteſtati fuêre.

IN veteri Teſtamento paſſim legitur, quod Viri ſancti munera ſemper repudiarint, dum pro iis rebus offerebantur, pro quibus mercari non licebat.

O quàm mundam Samuel frontem habebat *Opuſc. 31. cap. 1.* à muneribus, inquit Petrus Damiani; cùm dicebat, converſatus ſum coram vobis ab ado-

leſcentiâ meâ uſque ad hanc diem, ecce præſto ſum, loquimini de me coram Domino & coram Chriſto ejus, ſi de manu cujuſquam munus accepi, & contemnam illud hodie, reſtituamque vobis. *1. Reg. 12.*

Quàm mundus à ſuſceptis muneribus Moyſes erat, qui ſcientem omnia Dominum in teſtimonium deducebat. Tu, inquit, ſcis, quod nè aſellum quidem unquam acceperim ab eis. Quàm averſus à ſuſcipiendis muneribus erat Abraham, cùm Regi Sodomorum Bara obſiſtebat dicens, levo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cœli & terræ, quod à filio ſubteguminis uſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, nè dicas, ego ditavi Abraham. *Num. 16.* *Gen. 14.*

In novo quoque Teſtamento Viri à ſanctimoniâ commendabiles, hujuſmodi munerum, retributionumque gratificationes tanquam ſimoniacas execrati fuêre: ut etiam ad ſummas anguſtias redigi præelegerint, quàm munera & retributiones quoquo modo dare vel accipere.

Certè de S. Joanne Eleëmoſynario Patriarchâ Alexandrino legimus, quod cùm anno 615. ingens multitudo eorum qui manum perſicam evaſerant Alexandriam confugiſſet, eſſetque tùm ingens victûs penuria in illis alendis, Sanctus Pontifex omnes pecunias tùm proprias tùm mutuò acceptas conſumpſerat. Quidam autem Clericus divitiis affluens reſcivit ejus *Leontius in ejus vitâ. Vide Baron. ad an. 615.*

anguſtias, cùmque bigamus eſſet, & gradum Diaconatus aſſequi cuperet, oportunum tempus ratus chartam ipſi obtulit, quæ ſic ſe habebat. Cùm accepiſſem anguſtias in quas redacta eſt munifica dextera Domini mei, non exiſtimavi oportere me quidem degere in deliciis & rerum abundantiâ: Dominum autem meum redactum eſſe in anguſtias. Sunt autem apud me frumenti quidem multa millia, auri autem centum libræ & quinquaginta, eas velim per te dare Chriſto, ſi tamen judicatus fuero dignus Diaconatu per ſanctam tuam ordinationem, &c.

Ecce quomodò Clericus ille pecuniam non offert tanquam pretium, ſed tanquam motivum. Reſpondit tamen Vir ſanctiſſimus: Tua quidem oblatio ô fili eſt magna, & huic tempori neceſſaria; ſed eſt vitioſa, & propter hoc ipſum nõ admittenda. Non ignoras enim quod oves quæ ex lege offerebantur, ſi non eſſent vitii expertes, etiamſi eſſent magnæ, non poterant admitti ad ſacrificium: quâ de causâ nec munera Cain fuerunt accepta. Quam ob rem tibi, ô Fili, conveniet id quod Simoni dictum eſt in Actis, non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto.

Poſtea nũtiatum eſt illi, duas magnarum navium Eccleſiæ ad terram eſſe ſubmiſſas, quas propter frumentum in Siciliam miſerat. Quod audiens beatus Vir cadens in terram gratias egit omnipotenti Deo dicens, gratias tibi refero

referoq Domine, quoniam non permiſiſti ſervo tuo pecuniis vendere gratiam tuam.

Alterum exemplum petitur ex vitâ S. Anſelmi: is enim cùm ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem promotus fuiſſet, primùm à Rege Guilielmo benevolè exceptus eique gratus fuit: ſed deinde cùm mille libras denariorum ipſi pro agendis munificentiæ ſuæ gratiis dare nollet, multùm diſplicuit. Tentavit tamen animum Sancti per Epiſcopos alioſque Doctores: Cùm enim procuraſſet ipſe pallium Româ deferri, quo vir ſanctus ad illud quærendum proficiſci debuiſſet: atque ita ipſum ab oneribus itineris ſublevaſſet, expoſuerunt iſti à Rege miſſi, Dominum Regem ſuâ operâ & impenſâ pallium à Româ meruiſſe, ſuoque labore tranſegiſſe negotium; quod illi conſtaret multis marcis, par eſſe ut tantò Principis beneficio digno reſponderet muneris officio. *Vide Ediner. in ejus vitâ apud Suriū 21. April. & Matth. Paris. ad ann. 1094. & 1095.*

Non potuiſſet Rex juxta recentiorum doctrinam magis gratuitò ſibi gratificationem rependi poſtulare. Ingemuit tamen S. Anſelmus doli machinam ad effectum deductam, & dicta Epiſcoporum largis ſuſpiriis excipiens, negavit ſe quicquam propter hoc daturum, quia parvi-æſtimaret beneficium, cujus amplitudinem ipſi tanti penderent.

Matthæus Paris paulò aliter addit: ad hoc allegabat Rex uti ſibi videbatur cauſam juſtiſſimam, quod gratis Epiſcopali ejus promotioni annuiſſet. Archiepiſcopus verò nihil

Digitized by Google

intereſſe ducens ante promotionem vel poſt, talem ob cauſam numerare pecuniam, pari pœnâ dignum arbitrabatur utrumque. Cùm autem ſaccos Regis niſi læsâ conſcientiâ implere non poſſet, elegit potius Regis indignationem, quàm diſpendium famæ, & periculum animæ in præſens incurrere, & in poſterùm confuſionem & ſcandalum in Dei Eccleſiâ ſeminare. Hinc eſt quod vir Sanctus è regno pulſus, exulare coactus fuerit.

Sic etiam de S. Erminoldo legitur, quod cùm ad Abbatiam Lorſacenſem ab Henrico V. Imperatore præſentatus fuiſſet, eidem renuntiavit ob donum gratis à ſuo fratre Imperatori eâ de causâ redditum. Fratrem namque carnalem vir Dei habebat, inquit Author vitæ ipſius, præter titulum ſanguinis generoſi ſatis ſuperque in divitiis abundantem. Quodam verò die cùm veniſſent viri Imperatoris ut aſſiſterent coram illo, affuit inter eos & ille viri ſancti Germanus, cui ſubjiciens Auguſtus animo fortè jocandi causâ, inquit, tuæ dilectionis fratrem tuum regali præfecimus Abbatiæ, facientes ſibi nomen grande juxta nomen magnorum qui celebrantur in terrâ, ut ſedeat cum Principibus & ſolium gloriæ teneat inter illos: in quo igitur majeſtatis noſtræ munificentiæ reſpondebis? At ille, vera inquit eſſe omnia cognoſco quæ proponit veſtra Serenitas, arbitrorque digniſſimum, ut veſtræ non ingratus inveniar pietati.

Apud Bolādum 6. Ianuarii cap. 2. num. 9.

Digitized by Google

Dictum duxit in actum, nec multò poſt decentibus ſatis Imperatorem muneribus honoravit, famulo Domini Erminoldo tam dicta Imperatoris, quàm facta Germani pœnitùs ignorante.

Cœterùm mox ubi ad eum res geſta devenit, licet horum omnium nec conſcius extitiſſet, Lorſacenſem reſignavit Abbatiam protinùs, tam Curæ ſe ſubtrahens Paſtorali, quàm vel notæ leviſſimæ Simoniacæ pravitatis: Advertendum eſt igitur, quàm execrabile duxiſſet hic Sanctus per tale ſe vitium maculaſſe, ut & Prælaturam deteſtaretur; pro quâ nihil unquam datum vel præbitum eſſet adipiſcendâ, ſed pro jam adeptâ, & de poſt facto frater ſuus Imperatori grates per munera retuliſſet. Ita ille Author.

CAPUT DECIMUM.

De intentione per quam munera & retributiones vitiantur.

§. 1.

Quod nullâ arte Simonia poſſit palliari, cùm ex ſolâ intentione pateſcat avaritiæ labes.

IURE ſanè merito Sancti illi Viri omnem munerum aut retributionum gratificationem in diſtributione beneficiorum averſati fuêre. Sciebant enim hujuſmodi oblationes divino judicio condemnari, ut potè quod fraudem & ſimulationem continerent; ideoque fraudulenta munera fuerunt appellata. Si quis fraudulento munuſculo, inquit S. Gregorius, Sacerdotalem dignitatem acceperit, & in vitâ ſuâ non ſpontè reliquerit, eumque inſperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum peribit.

Apud Grat. 1. q. 1. cap. Si quis.

Sic & Concilium Forojulienſe ait: decernimus, ut nullus Canonicæ deditus ditioni donum Spiritus ſancti pecuniæ pretio fraudulenter deçeptus vendere vel emere præſumat.

Sub Hadr. I. pap. & Carolo Magno.

Tùm ut explicet, quid ſit fraudulentum iſtud pretium, ſubdit: Nè cui in quemlibet ſacrum Eccleſiaſtici ordinis gradum muneris exigente merito, liceat quempiam ſubvehendo promovere, patentique ſemper cordis aure pertimeſcens, intellige clariſſimam illam Domini vocem: gratis accepiſtis, gratis date.

Nullis utique Simoniaca pravitas (ſecundùm Patrum mentem) adinventionibus devitari aut excuſari poteſt, quatenùs talem ob cauſam ſeu eâ intentione pecunia numeratur, aut beneficium confertur. Propterea Concilium Meldenſe dicit, cavendum eſſe & ſummoperè ſtudendum, ac per virtutem Chriſti Sanguinis omnibus interdicendum, ut nemo per Simoniacam hæreſim regiminis locum obtineat, quâcumque factione, calliditate, promiſſione, ſeu commoditate aut datione, per ſe vel per ſubmiſſam perſonam. *Cap. 43.*

Ratio autem eſt, quia ubicumque intercedit intentio ex diſtributione beneficii vel muneris, lucrum qualitercumque captandi, turpis quæſtus eſt, ex avaritiæ ſtudio profluens. Undè ipſa muneris elargitio per eam vitiatur, ut ad Simoniam pertineat. Ita Salesburienſis, inquit, certum eſt ex authoritate ſanctorum Patrum, quod per hæreſim Simoniacam à ſinceritate fidei corruit, quiſquis in ſpiritualibus, ideſt in rebus ſacris & Eccleſiaſticis mercimonium avaritiæ exercet. *Lib. 7. Polyc. cap. 9.*

Idem declarat Innocentius II. in Synodo *Apud Grat. 1. q. 3. cap. Si quis.*

Digitized by Google

Romanâ, dicens: Si quis præbendas vel Eccleſiaſticam aliquam promotionem interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam comparaverit, honore malè acquiſito careat. Nec ſub obtentu alicujus conſuetudinis ante vel poſt, à quoquam aliquid exigatur, aut ipſe dare præſumat, quoniam Simoniacum eſt.

2.2.q.100. art.5.ad 3. Propterea S. Thomas rectè tradit, eum Simoniam committere, qui principaliter intendit, ad temporale, dum beneficium alteri confert. Ut ſanè mirum mihi videatur recentiores aliquos admittere, eum ſibi in hoc adverſari, nec tamen à præconcepto errore recedere, cùm ea ſit communis Patrum doctrina: qui enim eaſdem res non ad hoc, ad quod inſtitutæ ſunt, ait Urbanus II. ſed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obſequii, vel pecuniæ largitur vel adipiſcitur, Simoniacus eſt: cùm principalis intentio Simonis fuerit ſola pecuniæ avaritia, ideſt idololatria, ut ait Apoſtolus.

Vide Tanner tom.3. diſp. 5.q.8. dub. 3.

Apud Grat. 1. q.3.cap. Salvator.

S. Auguſt. præfat. in pſalm. 31. Hinc apparet non valdè attendendum eſſe, quid homo in quoque opere faciat, ſed quid cùm facit aſpiciat: affectus enim tuus, inquit S. Ambroſius, nomen imponit operi tuo. Ideòq; cùm cupiditas omnis quæſtus ex diſtributione beneficiorum captandi ſit intentio damnabilis, ex eâ opus ipſum efficitur Simoniacum, etiamſi pactio expreſſa non intercedat.

Lib.1. offic. cap. 30.

An. 1178. Sic Gregorius VII. cum Synodo Romanâ cui præerat, dixit: Ordinationes quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obſequio, alicui

perſonæ eâ intentione impenſo factæ ſunt, falſas eſſe dijudicamus, quoniam qui taliter ordinantur, non per oſtium, ideſt per Chriſtum intrant, ſed ut ipſa veritas teſtatur, fures ſunt & latrones.

Urbanus quoque II. in Concilio Meldenſi prohibet: nè quis dato, vel promiſſo pretio, vel ſervitio eâ intentione impenſo, vel precibus, Epiſcopalem nitatur aſſequi dignitatem.

Cap. I. apud Gratian.

Undè cùm propoſitus fuiſſet Innocentio III hic caſus: Si Clericus alicui Eccleſiæ de bonis ſuis quiddam obtulerit, ut in vitâ ſuâ ſibi liceret, eadem bona in ipsâ Eccleſiâ pro præbendâ tenere: an bona recipi debeant ſic oblata, & idem Clericus aſſumi debeat, vel valeat, in Canonicum ejuſdem Eccleſiæ, abſque vitio Simoniæ?

Reſpondet ipſe his verbis: quod ſi quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodum pro præbendâ retineat, & in Canonicum admittatur: hujuſmodi oblatio vel receptio fieri non poterit ſine vitio Simoniæ; cùm in talibus omnis pactio aut conventio ceſſare debeat, juxta canonicas ſanctiones. Si verò purè ac ſine pacto vel conditione quâlibet offerat, rogans humiliter & ut in Canonicum admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro præbendâ, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ purè conſentiant: hujuſmodi receptio fieri potuit abſque ſcrupulo Simoniacæ pravitatis.

Cap. tua nos extra. de ſimoniâ.

Digitized by Google

Tùm ſubjungit: licet autem taliter duximus reſpondendum, quia datum eſt de manifeſtis tantummodò judicare; ſi tamen is qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci: & Clerici qui eum admittunt in fratrem, non eſſent eum niſi commoda temporalia perciperent admiſſuri, ſine dubio tam ille quàm iſti apud diſtrictum judicem (qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum) culpabiles judicantur.

Hæc reſponſio apertè declarat ſolam intentionem temporale per rem ſpiritualem adipiſcendi; & èconträ rem ſpiritualem per temporale eſſe Simoniacam: quamvis exteriùs non præſumatur Simoniam intercesſiſſe, eò quod nulla pactio verbis aliisvè ſignis indicata fuerit.

Dicat fortè hîc aliquis: ego quidem nihil quæro, ſed ſi quid gratis offertur accipere non recuſo. Hæc fuit excuſatio à veteribus Simoniacis Petro Damiani propoſita: quam ipſe refellit ex illo textu Prophetæ, Principes tui infideles ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Ecce inquit, hic non notantur ii qui munera quærunt, ſed qui tantummodò diligunt, qui etiam ſocii furum non immeritò dicuntur, quia dum furtiva dona ſuſcipiunt, etiam à comminiſtris ſuis & ſodalibus deprehendi, velut in furti crimine perhorreſcunt.

Iſaia 1.

Opuſc. 31. *cap.* 1.

§. 2.

Quandocumque pecunia intervenit, & per eam Beneficium comparatur, Simonia committitur.

ISte eſt Canonum omnium ſenſus qui promotiones illas Simoniacæ pravitatis condemnant, in quibus pecunia quomodocumque intervenit, ut per eam ſive tanquam pretium ex pacto expreſſo, vel tanquam cauſam finalem dum per modum retributionis expectatur, ſivè etiam tanquam cauſam motivam ex munere videlicet præaccepto; Quomodocumque inquam intervenit, ut per eam, ſeu ejus intuitu, interventu, aut motione beneficium Eccleſiaſticum quiſpiam adipiſcatur. Ut potè quod commodi proprii ac turpis lucri causâ fiat.

Ita S. Gregorius ait, Presbyter ſi per pecuniam Eccleſiam obtinuerit, non ſolùm Eccleſiâ privetur, ſed etiam ſacerdotii honore ſpolietur. *Apud Grat. 1. q. 1. cap. Presbyter.*

Item quiſquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut hæreticus fiat promovetur. *Ibid. cap. Quiſquis.*

Concilium Calcedonenſe: Si quis Epiſcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & ſub pretio redegerit pecuniam, quæ vendi non poteſt, ordinaveritque per pecuniam Epiſcopum, *Ibid. cap. Si Quis.*

Digitized by Google

&c. pro ſuo turpiſſimi lucri commodo, is qui hoc attentaſſe probatus fuerit, proprii gradus periculo ſubjacebit.

Ibidem, cap. Qui per. Octava Synodus, Qui per pecunias quempiam conſecraverit, vel ab alio conſecratus eſt, alienus à ſacerdotio fiat.

Ibid. cap. Sanctorum. Caliſtus Papa: Sanctorum Patrum exempla ſequentes, ordinari quemquam per pecuniam in Eccleſiâ Dei, vel promoveri, authoritate Sedis Apoſtolicæ modis omnibus prohibemus.

Can. 22. Synodus in Trullo: Eos qui per pecunias ordinati ſunt, ſive Epiſcopi, ſive quicumque Clerici, & non ſecundùm probationem & vitæ optionem, deponi præcipimus.

Act. 1. Anathem. 7 Synodus ſeptima: Epiſcopum qui per pecuniam ordinatus eſt, confiteor quia per pœnitentiam recipitur, Deus enim bonus eſt in omnibus, & aperta viſcera ejus omni homini pœnitenti. Sed quoniam juxta Apoſtolum oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, quicumque per pecuniam vel ordinaverit aliquem, vel ordinatus eſt, ab omni Sacerdotio alienus ſit. Taraſius Patriarcha dixit: quicumque per pecuniam vel ordinant, vel ordinaverunt, vel ordinati ſunt Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, vel quilibet de numero Sacerdotali, repellantur omninò à Sacerdotali honore, ſicut Simon Magus à Petro. Quicumque per pecuniam diſpenſationem, vel curam ſortiti ſunt Monaſteriorum, &c. cum depoſi-

Digitized by Google

tione expellantur à diſpenſatione illâ & curâ.

Idem Taraſius Conſtantinopolitanus, eos qui per pecunias manus impoſuerunt vel imponunt, Petrus divinus Apoſtolus tamquam Simonem Magum deponit. *Ibid. cap. Eos qui.*

Paſchalis II. Papa: altare & decimas per pecuniam dare, & Spiritum ſanctum vendere, Simoniacam hæreſim eſſe, nullus fidelium ignorat. *Ibidem. q. 3 cap. Altare.*

Innocentius II. Si quis præbendas, &c. interveniente execrabili ardore avaritiæ per pecuniam comparaverit, honore malè acquiſito careat. *Ibid. cap. Si quis.*

Concilium Placentinum: Quicumque ſanè cupiditate parentum, cum adhuc parvuli eſſent, Eccleſias vel Eccleſiarum Beneficia per pecunias adepti ſunt, poſtquam eas omninò dimiſerint; ſi canonicè in eis vivere voluerint, pro magnâ miſericordiâ ibidem eos eſſe concedimus. *Sub Vrbano 2. an. 1095.*

Sic etiam Canon Apoſtolorum habet: Si quis Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus pecuniæ interventu, hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor. *28.*

S. Gregorius: ſi quis dator vel acceptor, Dei Eccleſias vel Eccleſiaſtica Beneficia (quæ quidam præbendas vocant) ſub pecuniȩ interventu ſuſcepȩrit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Nam qui ſub religionis obtentu Deo famulari voluerit, ſi quid accipit, & me- *Apud Grat. 1. q. 3. cap. Si quis.*

Digitized by Google

ritum perdit, & beneficio accepto fruſtratur. Rationis ergo vigore cogitur, quod injuſtè receperit reſtituere, & quicquid turpis lucri gratiâ receperat, non tenere.

Cap. Quã pio ibid. q. 2. Bonifacius Papa: Nuſquam enim legimus Domini diſcipulos, vel eorum miniſterio converſos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocaſſe.

Epiſt. ad Adrian. Taraſius Conſtantinopolitanus: Omnes Eccleſiaſticas promotiones, in quibus pecunia intervenit, irritas eſſe jubent, ſacri videlicet Canones.

l. 31. Cod de Epiſ. & cler. Leo Imperator: Si quis hanc ſanctam & venerandam Antiſtitis ſedem pecuniæ interventu ſubiiſſe, aut ſi quis ut alterum ordinaret vel eligeret aliquid accepiſſe detegitur, &c. à Sacerdotii gradu retrahatur.

Lib. 4. Reg. epiſt. 55. Denique S. Gregorius ait: Oportet ergo, ut neque per commodum neque per gratiam &c. aliquos ad Sacros Ordines conſentias aut permittas adduci. Et alibi: quibuſdam narrantibus agnovi, quod in illis partibus nullus ad ſacrum Ordinem ſine commodi datione perveniat, &c. *Ibid. ep. 56.*

Ex his planè liquet, juxta ſacrorum Canonum mentem, ubicumque per pecuniam, ejus interventu, commodi datione, aut intentione, beneficium confertur, Simoniam committi. Nec Patres diſtinctionem hanc, ſubtilem ſcilicet, inter pretium & donum ad movendum aut retribuendum facere: ſed modò pecunia

Digitized by Google

pro beneficio detur, omnium in hac re eſſe ſordes, munerumq́ue corruptionem pronunciant, inquit Gennadius Conſtantinopolitanus. *Supra cit.* Ideò etiam nummulariorum menſas evertit Dominus, inquit S. Chryſoſtomus, quod *In Matth.* ſignificat, quia in templo Dei non debent eſſe nummi, niſi ſpirituales, qui Dei habent imaginem, non qui portant imaginem terreni. Speluncam autem latronum templum nominat propter lucrum, ait Theophilus: genus namq́ue latronum ad lucrum ſe congregat. Quia ergo illa animalia quæ ad ſacrificium oblata erant, causâ lucri vendebant, latrones ipſos dixit: ad hoc enim in templo erant, vel ut non dantes corporaliter perſequerentur, vel dantes ſpiritualiter necarent.

CAPUT UNDECIMUM.

De diſtinctione veræ liberalitatis ac gratitudinis à quæſtu turpis lucri.

§. 1.

Quid ſit vera Beneficientia & gratitudo, & in quo earum leges conſiſtant.

CUM Simoniaci ambitionis & avaritiæ pulvere excæcati, non videantur intelligere, quid ſit gratuiti doni Beneficentia, & quid noſcitabundæ remunerationis ratio: quantumcumque inter illas, & fœneratitiam ſeu mercenariam voluntatem interſit: utriuſque naturam in præſenti breviter expendemus. Sæpè enim per ſimulationem colitur amicitia, inquit S. Iſidorus; ut qui non potuit apertè decipere, fraudulenter invadat. *Lib. 3. de ſummo bono.*

Beneficentia, ſicut docet S. Thomas, eſt actus charitatis exterior, quo alicui bonum facimus. Ei correſpondet Benevolentia, quæ eſt actus interior, quo benè alicui volumus. Cùm *2. 2. q. 31. art. 1.*

autem uterque ſit actus amicitiæ & charitatis, habet etiam uterque pro objecto communem rationem boni, & ut amico proficui.

Ex quo apparet, in beneficio duo concurrere, donum & affectus: illud tanquam materiale, hic tanquam formale: affectus autem ſolus nomine beneficii dignus habetur. Multum intereſt inter materiam beneficii & beneficium, inquit Seneca: itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum quæ à proximis recipiuntur beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas. Imperiti autem quod traditur ſolùm vocant beneficium: Imperatoris enim corona & veſtis & currus nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne; ſic nec eſt beneficium, quod ſub oculos venit, ſed veſtigium beneficii. *S. Thom. 2. 2. q. 106. art. 5. ad 1.* *3. de benef.*

Unde quod attinet ad affectum, multùm intereſt, utrùm aliquis beneficium det ſuâ causâ, an noſtrâ; ſi noſtri causâ, gratia dicitur, quia gratis datur: eòque major quo magis gratis. Si ſuâ causâ, non jam liberalis aut beneficus erit, ſed avarus. Invitare amicos ad convivium, inquit S. Thomas, eâ intentione quod te ipſi reinvitent, non eſt charitatis, ſed cupiditatis. Et S. Ambroſius, hoſpitalem eſſe remuneraturis affectus avaritiæ eſt. Lactantius: Si ab homine mercedem expectes, jam non humanitas erit illa, ſed beneficii fœneratio: nec poteſt videri benè meruiſſe, qui quod facit, non alteri, ſed ſibi præſtat. Sic etiam *S. Thom. cit. art. 2.* *Ibid. q. 31. art. 3.* *Lib. 7. in c. 14. Lucæ.* *Lib. 6. inſt. cap. 12.*

Digitized by Google

Seneca: Sicut non eſt liberalis qui ſibi donat, nec clemens, qui ſibi ignoſcit; nec miſericors, qui malis ſuis tangitur, ſed qui aliis: ita etiam nemo ſibi ipſi beneficiũ dat, ſed naturæ ſuæ parat, quæ movet ad refutanda nociva, & appetenda proficua. Et alibi, ille qui totus ad ſe ſpectat & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt, eo mihi loco habendus videtur, quo qui pecori ſuo pabulum proſpicit. Eodem modo Tullius ait, charum ipſum verbum amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt ductum: quàm ſi ad fructum noſtrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit illa amicitia, ſed mercatura quędam utilitatum ſuarum. Prata, & arva, & pecudum greges diligũtur iſto modo, quod fructus ex eis capiuntur: hominum charitas & amicitia gratuita eſt. Similia habent paſſim alii tùm Philoſophi, tùm Patres.

Lib. 6. de beneficiis c. 12.

1. de nat. Deorum.

Sic itaque vera amicitia, teſte S. Thomâ, ſuper virtutem fundatur, ut quidquid eſt virtuti contrarium in amico, ſit amicitiæ impeditivum; & quidquid eſt virtuoſum, ſit amicitiæ provocativum: amicitia quippè eſt inter viros bonos, ait Seneca, conciliante virtute.

2. 2. q. 106. art. 1. ad 3.

Epiſt. 3.

Undè illud tantùm poſterius parit gratitudinem: in quâ quidem, ſicut & in ipſo beneficio, duo conſiderari debent, affectus & donum: ſed præcipuum eſt affectus, per quem incontinenti recompenſatio fieri debet; danti etenim rependi quicquam gratius ab accipiente non poteſt, inquit S. Bernardus, quam ſi gratum habuerit

Ep. ad Imer. Cancell.

habuerit; quod gratis accipit. Ideò etiam Seneca dicit: Vis reddere beneficium, benignè accipe: & qui gratè beneficium accipit, primam ejus penſionem ſolvit. Quod gratè autem ad nos beneficia pervenerint, indicemus effuſis affectibus; quod non ipſo tantùm audiente, ſed ubique teſtemur. *In 2. de beneficiis.*

Quantùm ad donum quod rependendum eſt, benefactori debetur honor & reverentia, eò quod habeat rationem principii; ſed per accidens debetur ei ſubventio, vel ſuſtentatio, ſi indigeat. Ex quo patet, quod quantumcumque in fœlicitate exiſtenti, poteſt recompenſatio beneficii fieri per exhibitionem reverentiæ & honoris. Multa ſunt, inquit Seneca, quæ quicquid debemus, reddere & fælicibus poſſumus, fidele conſilium; aſſidua converſatio, ſermo communis, & ſine adulatione jucundus. *S. Thomas ibid. art. 3. corp. & ad 5* *In 5. de beneficiis.*

Sic utique parentibus, à quibus vitam, libertatem, civitatem, & cœtera bona accepimus, inquit Tullius, gratos nos eſſe demonſtramus. Nec ad gratitudinem illis teſtandam opus eſt, ut quis copias auri retribuat: niſi fortè illos egeſtate premi cognoverit.

Ut autem indigenti fiat retributio lucri, non oportet, quod homo optet indigentiam ejus vel miſeriam, qui beneficium dedit, ad hoc ut beneficium recompenſetur; quia ut Seneca dicit, ſi hoc ei optares, cujus nullum beneficium haberes, inhumanum eſſet votum, quantò inhumanius ei optas, cui beneficium debes. *S. Thomas cit.* *6. de benef.*

S. Thomas ibid. art. 4. Immò verò oportet expectare tempus, quo ea recompenſatio lucri ſit benefactori opportuna: tempus, locum, perſonam, quiſque obſervet, inquit Seneca, *3. de benef.* quia monimentis, quædam grata & ingrata ſunt. Sin autē non convenienti tempore ſtatim aliquis velit munus pro munere reddere, non videtur eſſe virtuoſa recompenſatio, ſed invita: ut enim Seneca ait, *4. de benef.* qui nimis citò cupit ſolvere, invitus debet, & quia invitus debet, ingratus eſt.

Neque refert quod quamdiu quis nullum donum rependerit, debitor ſemper manere videatur, quia ſicut jam dictum eſt, in recompenſatione beneficii magis eſt conſiderandus affectus quàm effectus. Atque ita ſi quis impotens eſt retribuere æquale, vel quia pauper eſt, vel quia ille qui beneficium dedit non indiget, ſufficit ad gratitudinem voluntas recompenſandi. Unde S. Ambroſius: *Lib. 1. Offic. cap. 32.* alius ergo fructum accepti beneficii, ut aurum auro rependit, alius laborem, alius haud ſcio an etiam locupletius ſolùm reſtituit affectum. Quid enim ſi reddendi nulla facultas ſuppetit? In beneficio reddendo plus animus, quàm cenſus operatur. Magiſque præponderat benevolentia, quàm poſſibilitas referendi muneris. Gratia enim in eo ipſo quod habetur refertur, & ideò præſtat benevolentia ſupra ipſam liberalitatem. Ditior hæc moribus, quàm illa muneribus. Ita ille.

Orat. pro Planc. Et Tullius, diſſimilis eſt pecuniæ debito, &

gratiæ. Nam qui pecuniam diſſolvit, ſtatim non habet id quod reddidit: qui autem debet, is retinet alienum. Gratiam autem & qui refert habet; & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert.

Sed etiam qualecumque donum quis retribuerit, quoniam debitum gratitudinis ex charitate derivatur, obligatio ejus eſt interminabilis, ut ſicut quantò plus ſolvitur, tantò magis debetur; ita etiam quantò magis debetur, tantò plus ſolvitur, juxta illud Apoſtoli, nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis.

S. Thomas cit. art. 6. ad 1. & 2.

Ad Rom. 13

Hæc eſt vera illa & germana juſtitia, cujus expreſſam effigiem nullam tenent, qui ſpe remunerationis lucrativæ alliciuntur ad benefaciendum. Mercenaria enim non eſt virtus, liberalitas gratuita eſt: atque ita nemini dubium eſt, quin is qui liberalis beneficuſque dicitur officium non fructum quærat: nolitque ſibi rependi donum æquale; quod exiſtimet beneficium quod refertur interire atque finiri; quatenùs non poteſt id habere integrum, cujus pretium nobis perſolutum eſt.

Lactantius lib. 6. inſtit. cap. 11.

Idem ibid. cap. 12.

Unde non perſonas eligit idoneas ad rependendum, ſed eis potiſſimùm tribuit, à quibus nihil ſperat, ſecundùm quod juſtitia poſtulat. Non amicos aut conſanguineos præfert, niſi cœteris paribus, quatenùs in pari causâ eos prætermittere minus pium videretur. Atque ita juſtitiam matrem principemque

Idem ibid.

Vide S. Thomam 2. 2. q. 31. art. 3

Lactantius cit.

virtutum ſuo pretio, non ſuo commodo æſtimat. Non eſt ſancta amicitia, inquit Tullius, niſi ipſe amicus per ſe ametur toto pectore, ut dicitur, qui quidem amandus eſt deſperatis emolumentis & fructibus. Unde & alibi ita loquitur. Plerique in rebus humanis nihil quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos tanquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos. Itaque pulcherrimâ illâ & maximè naturali carent amicitiâ: nec ſibi ipſi exemplo ſunt. Hæc vis amicitiæ qualis & quanta ſit. Ipſe enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam à ſe ipſo mercedem exigat charitatis ſuæ, ſed quod per ſe ſibi quiſque charus eſt: quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur.

1. de legibus

In Lælio.

§. 2.

Unde conventio tacita ac voluntas illiberalis deprehendi poſſit?

SIcut non eſt beneficentia, dùm quippiam datur ex intentione lucri, ſed mercenaria fœneratio: ita non eſt gratitudo, ſatisfactio quæ ejuſmodi donationi rependitur, ſed debiti ſolutio. Oritur enim naturaliter obligatio quædam ex conventione mutuâ, per quam homines contrahere dicuntur, dum duæ pluresve

voluntates in idem conveniunt, vel ad mutuum lucrum viciſſim ſe trahunt, prout Juriſtæ docent. *Ad l. 1. ff. de pactis.*

Undè ſicut ex voluntatum convenientium mutuâ viciſſitudine obligatio præcisè naſcitur, quaſi ex præſcripto utriuſque partis; ita debitum ſtrictè ſolvi dicitur, dum conditione ab uno impletâ, juxta conventionis mutuæ exigentiam, ab altero etiam adimpletur.

Porrò quia contractuum ſpecies innumeris modis fingi poſſunt, Juriſtæ per quatuor agendi modos, quos actus reciproquos vocant, ipſos explicare ſolent, his verbis: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias: in quibus apparet ſemper mediare particulam, ut, quæ ſignificat intentionem mutuæ viciſſitudinis invicem rependendæ.

Cùm autem ejuſmodi intentio purè ſit interna, per ſe quidem neutri patet: ſed manifeſtatur ordinariè per verba vel nutus contrahentium, quæ ſunt ſigna interiorum conceptuum, affectuumque; contingit nihilominùs aliquandò, quod dum quiſpiam gratuitò ſe aliquid donare ſimulat, interim tamen ſibi tantundem rependi velit: ideòque verba & nutus exteriùs cohibet: ſed etiam ita operatur, actumque ſic dirigit, ut ex circumſtantiis ipſius intentio colligi facilè poſſit. Tum autem ſi quis ipſi per acceptationem conſentiat, ſuſcipit in ſe onus rependendi id quod ab illo prætenditur; ut potè propter mutuam viciſſitu-

dinem intentionum dandi aliquid, & aliud reddendi.

Cap. Etſi. extra. de Simonia.

Propterea Alexander III. Pontifex docet, quod pro Simoniâ dignoſcendâ, in accipiendis vel dandis muneribus tria ſint maximè attendenda, perſonæ ſcilicet dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris,& donationis tempus. Qualitas perſonarum, ut à quo & cui, videlicet an à paupere diviti, vel è converſo, ſivè à divite locupleti datum fuerit. Æſtimatio muneris, & donationis tempus, ſi magni vel minoris pretii res data exiſtat, & an inſtanti neceſſitatis, ſeu alio tempore conferatur.

Quod enim ſcriptum eſt, inquit, Beatus qui excutit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere vel pervertere ſolent.

In cap. 3. Michea.

Si igitur ingentia ſint munera (utinam enim inquit S. Hieronymus, non pretia villarum, ſed quinque obolos acciperent) quibus Eccleſiaſtica beneficia, ſeu bona, ut aiunt, voluntas ea conferendi per gratificationem munerari dicuntur. O negotiatio deteſtanda! inquit Petrus Bleſenſis, pro honore tranſitorio animam perdere, tantùmque pecuniæ numerare pro reditu, quantùm de obventionibus ejus non poſſit per quinquennium obvenire. Dicendum nunc foret, quantùm non poſſit per decennium, per duodecennium, & amplius obvenire.

Epiſt. 120.

Si perſonæ ſint à conſanguinitate extraneæ:

ſi divites: ſi repudientur pauperes digniores, aut etiam æquè digni, ſed magis noti, &c. Pecunia ſiquidem cum negotiatore percutitur ait, Petrus Damiani, at ubi deeſt pecunia, percuſſio non timetur. *Opuſc. 6. cap. 34.*

Ex his utique ſimilibusque circumſtantiis nemini dubium videbitur, quin intentio fuerit Simoniaca, quatenùs nimirùm animus movetur per iſtiuſmodi munera vel accepta vel expectata; inclinatur & allicitur, ad iſtos quibus beneficia conferuntur pre cæteris deligendos.

Subdit autem idem Pontifex: quod ſi dona tam modici pretii fuerint, quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant; Eccleſia interpretari non conſuevit, in his delinquere vel donantem, multò minus accipientem, rectè ait, interpretari non conſuevit, quia ſi verè quis per minuta munera moveretur ad ſpiritualia bona danda, non poſſet ille excuſari à Simoniâ.

Ita S. Thomas cùm ſibi objeciſſet, licere judici ſpirituali accipere aliquod munus: Reſpondet, quod Eccleſiæ judicium ſit quantùm ad exteriora; & quia non eſt probabile, quod animus judicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere, ideò in parvis muneribus judici datis non judicat Simoniam committi: ſed apud Deum, qui cor videt Simonia eſt, & in parvis & in magnis muneribus, ſi animus judicis ex eis flectatur. *In 4. diſt. 25. q. 3. art. 3. ad 1.*

Digitized by Google

Hieron. Platus de offic. & dignit. Card. c. 11.

Cùm itaque apparet eò dona tendere, ut animum deliniant, eoque inclinare, quò non decet, tunc conſtantiſſimè repudianda ſunt: quia illa quis accipiendo, convincitur officium ſuum quæſtui habere. Quod quidem ſi nefarium ſit, ſicut in rebus ſpiritualibus, quæ intentione tēporalium conſequendarum commutantur, ejuſmodi oblationes tanquam Simoniacas prorsùs deteſtari oportet.

Lib. 4. de Conſid.

Egregium hujus rei exemplum proponit S. Bernardus, de Martino quodam Cardinale, qui functus aliquandò legatione in Daciâ, tam pauper remeavit, ut penè expenſis & equis deficientibus perveniret Florentiam; ibi Epiſcopus loci donavit ei equum, quo Piſas uſque ubi eramus, inquit S. Bernardus, tunc pervectus eſt. Poſtridie, credo, ſecutus Epiſcopus (erat enim illi cauſa cum adverſario, & agendi erat dies) cœpit requirere ſuffragia amicorum, cùmque per ſingulos ſollicitaretur, ventum eſt ad Martinum, fiducia erat major in illo, qui non poſſet immemor eſſe recentis beneficii. Tùm Martinus, decepiſti me, inquit, neſciebam tibi imminere negotium; tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt, & eâdem horâ reſignavit illi.

§. 3.

Patres ejuſmodi munerum ac retributionum oblationes contractui emptionis venditioniſque comparant.

PRopterea Sancti Eccleſiæ Doctores paſſim docent, eos vendere beneficia Eccleſiaſtica, qui intendendo temporalem retributionem illa conferunt, & illos emere, qui per oblationem munerum eadem acquirere intendunt.

Ita expreſsè Beda ait, Non ſolùm vendentes ſunt columbarum & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui ſacros ordines largiendo pretium pecuniæ, vel laudis, vel etiam honoris inquirunt; Verùm ii quoque, qui gradum vel gratiam in Eccleſiâ ſpiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non ſimplici intentione, ſed cujuſlibet humanæ causâ retributionis exercent. *Ad cap. 2. Ioannis.*

S. Gregorius: Audivimus dilectiſſimi, quod nos audiſſe oportuit, ſed audiſſe profectò non libuit: quoſdam ſcilicet eſſe ſacrorum ordinum profeſſores, qui ſub munerum datione vel acceptione Dei Eccleſias, vel earum ſibi beneficia uſurpant. Quod quidem ſcelus vos non jam dudum acriter correxiſſe vehementer *Ep. ad Epiſc. Hiſp. apud Grat. 1. q. 3. cap. audivimus.*

Digitized by Google

admiramur. Juſtè enim uterque corripiendus eſt, & ſanctæ liminibus Eccleſiæ ſubmovendus, & qui pro ambitu Eccleſiæ munera largitur, & qui ut Eccleſiam adeat quidquam præſumit accipere. Iſte quippe donum Dei emere, hic autem præſumit vendere.

Hom. 4. in Evang. Et alibi: Columbas quippe vendere, eſt impoſitionem manus quâ Spiritus ſanctus accipitur, non ad vitæ meritum, ſed ad præmium dare.

Cap. 8. Concilium Toletanum XI. Quidquid inviſibilis gratiæ collatione tribuitur, nunquam quæſtibus vel quibuſlibet præmiis venundari penitùs debet, dicente Domino, quod gratis accepiſtis gratis date. Ideòque damnat eum, qui pro promotionibus graduum pretia quælibet, vel præmia voluntariè oblata, pro hujuſmodi ambitione ſuſceperit.

Ecce Canon iſte apertè diſtinguit inter pretia, & præmia, quæ voluntariè ſeu liberaliter offeruntur; eaque pariter reprobanda eſſe cenſet, quod gratia inviſibilis pari per ea ratione vendi intelligatur.

Cap. quidquid. 1. q. 1. Gratianus tamen referens hunc Canonem ponit hæc verba, niſi voluntariè oblata, ut ſenſus videatur eſſe contrarius. Sed in ipſo Concilio iſta particula non extat: Etſi autem extaret, nihilhominus excluderet intentionem reciprocam dantis & accipientis, quæ inducit quandam coactionem, & eſt onerosa, ſicut infrà oſtendetur. Mens verò Concilii patet ex

Digitized by Google

termino, præmiis quibuſcumque, qui non ſolùm ſignificat pretium ſtrictè dictum, ſeu pecuniam ex pacto, ſed potius munus liberale, quod Concilium omninò damnat propter intentionem turpis lucri.

S. Ambroſius ita etiam loquitur; reperiuntur quam plurimi negotio muneris perituri, mercari velle gratiam Spiritus ſancti, dum vile pretium donant, ut Pontificale culmen accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonem, pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti per pecuniam poſſidere. *Apud Grat. 1.q.3.c. reperiuntur.*

In hoc textu S. Doctor apertè dicit, eum mercari velle gratiam Spiritus ſancti, qui negotio ſeu oblatione muneris Pontificale culmen accipit.

Sic & Bonifacius Papa, Reſtat ergo, inquit, ut qui pro aliquâ Eccleſiaſticâ ſuſceptione munus aliquod accipit, donum Dei, quod à Patre luminis deſcendere debuit, vendat: munus autem largiens, importunus emat. *Ibid. q.2.c. quam pio.*

Alexander II. ſcribens ad Clerum Lucenſem conqueritur, quod in eâ Eccleſiâ nulli Clerico beneficium conferatur, niſi ei, inquit, qui prophano pecuniæ munere emere ſtuduiſſet. Ideòq; conſtituit, ut nullus deinceps Epiſcoporum beneficium Eccleſiæ pro aliquo pretio vel munere Clericis unquam audeat conferre: ſed omnes miniſtros & ſervitores Eccleſiæ gratis & abſque venalitate in ſanctâ Eccleſiâ ſtudeant *Ibid. q 3. c. ex multis.*

ordinare. Nec eligant in domo Domini, qui majores ſacculos pecuniæ conferant, ſed eos qui moribus & diſciplinâ atque ſcientiâ divites, pro officio ſuo ipſam valeant ſuſtentare Eccleſiam.

Cap. 11. Similiter Concilium Nannetenſe ait: Examinatores tunc vendere donum Spiritus ſancti, dùm per munera moventur, ad ſuffragium pro indignis proferendum. Ipſi autem quibus hoc committitur, inquit, cavere debent, ne aut favoris gratiâ aut cujuſcumque muneris cupiditate illecti à vero devient, ut indignum & minùs idoneum ad ſacros ordines ſuſcipiendos Epiſcopi manibus applicent. Quod ſi fecerint, & ille qui indignè acceſſit, ab altari removebitur, & illi qui donum Spiritus ſancti vendere conati ſunt, coram Deo jam condemnati Eccleſiaſticâ dignitate carebunt.

S. Hieron. in ejus vitâ. De hoc etiam S. Hilarion Orionum quendam virum primarium docuit: cùm enim dona ipſe offerret, ut gratiam viro ſancto redderet, quaſi ad remunerandum illum, quod ſe à legione dæmonum liberaſſet: Sanctus dixit, non legiſti quid Gieſi, quid Simon paſſi ſint, ut ille venderet gratiam Spiritus ſancti, hic mercaretur. Et poſt, noli contriſtari fili, quod facio pro me & pro te facio: ſi enim hoc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.

Greg. Turõ. lib. 6. hiſt. c. 39. Denique Gunthramnus Rex idipſum ſatis ſe intellexiſſe teſtatus eſt: cùm enim plures ambitioſi munera illi offerrent, ut ad Epiſcopatũ

Digitized by Google

Biturigum nominarentur, reſpondiſſe fertur: non eſt principatus noſtri conſuetudo Sacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum eum præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamiâ notaremur, & vos mago Simoni compareminì.

§. 4.

Sicut ille qui ad ſuum commodum reſpicit, non niſi ſubdolè benefacere ſe velle ſimulat: ita qui nihil reddiderit, ingratus dici nullo modo poteſt.

Mirantur opinor nonnulli qui præjudiciis nimis præventi ſunt, atque ita querelosè proponunt. Nùm tibi prohibitum videtur, aliquem beneficiis ad retribuendum ex gratitudine provocare? hic certè nulla conventio, nullum pactum, nulli debito adſtringitur beneficus tanquam ex condicto partium: ſed tantùm obligationi ad antidora ſeu ad remunerandum, quæ beneficium naturaliter conſequitur, ex rei ipſius naturâ innodatur. Liberalis animus eſſe poteſt, quamquam ſedulò provideat, ne apud ingratos beneficia ſua collocet. Nec benevolentiæ affectus vetat, remunerationem ab eo cui benefeceris expectare.

Digitized by Google

Quid inſuper peccat, inquiunt, qui ut debito ſatisfaciat ſuo, munus reddit pro munere accepto. Nùm tibi melior videretur ſi ingratus foret, ne fortè affectu Simoniaco duci præſumeretur. Profectò non minùs eſt vitium ingratitudinis, quàm Simoniæ: quod utrumque quiſpiam rectè ac laudabiliter devitat, dum beneficium munere compenſat, ne ſit ingratus, atque ab omni pactione promiſſioneve abſtinet, ne Simoniacus exiſtat.

lib. de Incar. Domini ſacram. c. 1. Ubi igitur eſt crimen, ubi culpa, inquiunt apud S. Ambroſium. Reſpondeo cum eodem, non in oblatione muneris, ſed in oblationis affectu: ideò addidit (Propheta) quieſce, tolerabilius ſignificans abſtinere à muneribus, quàm infideli ſtudio munus offerre. Deſiderio *In pſalm.* tuo locum facis diabolo, ait S. Auguſtinus, ecce enim diabolus propoſuit lucrum & mutavit ad fraudem, lucrum habere non poteris, niſi fraudem feceris: ſed lucrum eſca eſt, fraus laqueus: ſic attende eſcam, ut videas & laqueum, quia lucrum habere non poteris, niſi fraudem feceris: fraudem autem ſi feceris, capieris.

Hæc eſt profectò vafricies malitioſi & aſtuti *Lib. 1. inſtit. cap. 12.* & fallacis & ſubdoli hominis, inquit Lactantius, qui ambiendo ſimulat aliquid & prætendit, aliud agere videtur, cùm aliud agat, præſtare ſe alteri fingit quod ſibi præſtet: tuta *1. art.* frequenſque via eſt, ait Ovidius, per amici fallere nomen: tuta frequenſq; licet ſit via, crimen

Digitized by Google

habet. Ideòque ſanctus in negotiationem introiſſe ſe negat, infit S. Ambroſius, quia pretiorum (ſeu recompenſationum) captare incrementa non ſimplicitatis, ſed verſutiæ eſt. Ita Democritus Philoſophus dum quendam ad gratificandum aliis ſtudioſiſſimum, vilem nihilominùs viciſſim videret compenſationem accipere, eum lepidè ſubſannavit, dicens: ô he qui beneficia perdideris, num te non pudet: gratias quæſtus gratiâ proſtituere, quæ virgines eſſe dicuntur. Unde etiam Ovidius Poëta; Illud amicitiæ quondam venerabile nomen proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Lib. 3. offic. cap. 6.

Stobæus.

2. Pont. 3.

Certè vectigalis non eſt amicitia, ſed plena decoris, plena gratiæ. Virtus eſt enim amicitia, non quæſtus, quia non pecuniâ queritur, ſed gratiâ: nec licitatione pretiorum, ſed concertatione benevolentiæ. Liberalitas ſiquidem eſt, inquit S. Auguſtinus, motus quidam animi faciens & approbans liberas largitiones ſine ſpe retributionis. Quapropter elige eum qui gratis beneficium accipiat, ait Seneca, non qui redditurus ſit: non beneficium, ſed fœnus eſt, circumſpicere non ubi optimè ponas, ſed queſtuoſiſſimè habeas, unde facillimè tollas. Ita videlicet impiiſſimus Imperator Nero cùm ut leges Romanas ſervaret, officia reipublicæ non venderet, nunquam tamen cuiquam officium delegavit, niſi hæc adjiceret, Scis quibus mihi eſt opus, &c. Vox prædone quàm Principe dignior, inquit Sue-

S. Amb. ibid. cap. 16.

In diffinit.

De benef.

tonius. Eadem eſt cogitatio ejus qui retributiones ſectatur, ſi non verbis prolata, ſaltem mente concepta, quæ Simoniaco potius, quàm honeſto viro eſt dignior.

Lib. 3. offic. cap. 9. Nihil enimverò deformius, ait S. Ambroſius, quàm nullum habere amorem honeſtatis, & uſu quodam degeneris mercaturæ quæſtu ſollicitari ignobili; avaro æſtuare corde, non elevare animum ad honeſtatis nitorem, non conſiderare veræ laudis pulchritudinem. Hinc naſcuntur aucupia quæſitæ hæreditatis (ſeu remunerationis) continentiæ (ab omni pacto,) atque gravitatis ſimulatione captatæ, quod abhorret à propoſito Chriſtiani viri. Omne enim quod arte elicitum, & fraude compoſitum, caret merito ſimplicitatis. Hæc ille.

In quadam epiſt. Cùm igitur malitia ſit, ſicut ait S. Auguſtinus, per quam moribus deceptoriis veritate palliatâ, vel odium alterius vel proprium commodum attenditur. Cùm ſit hypocriſis, juxta *In Moral.* S. Gregorium, virtutum ſimulatione clauſum vitium abſcondere, & arte palliare. Si caſtum *S. Hier. l. 6. in Iſaiam.* me ſimulo (ſeu ab omnis quæſtus appetentiâ purum) & aliud eſt in conſcientiâ, habeo gloriam mercenariam, ſed ſupplicia peccatoris; & in comparatione duorum malorum, levius eſt apertè peccare, quàm ſimulare & fingere ſanctitatem.

Nunc verò quod attinet ad gratitudinem, vel illa intelligitur quæ vera virtus eſt, inclinans ad

gratum

Digitized by Google

gratum animi ſenſum benefactori teſtandum: aut humana quædam naturalis, vel ut ita dicam pagana (nam ethnici benefaciunt iis à quibus beneficium aliquod acceperunt) quâ videlicet creditur quæſtum cenſu eſſe remunerandum.

Si primum dixeris: ergo non ſolùm in angulis (uti fit) ſed in pulpitis etiam cohortandi ſunt omnes Eccleſiaſtici ad praxim hujus virtutis. Cumque vitium ſit quod opponitur virtuti, diſtrictâ cenſurâ redarguendi ſunt, qui debito iſti non ſatisfecerint. Ergo immeritò Eccleſia turpiſſimum in ſinu ſuo vitium fovet, cùm unius pulcherrimæ virtutis propoſitione omnem labis ſimoniacę fœditatem obliterare poſſet. Ergo injuſtiſſimè illa prohibet omnis muneris gratificationem. Ipſius verò præcepta coërcitiones & pœnæ non niſi temerariâ præſumptione nituntur; dum legi divinæ ſeu naturali adverſantur, quæ videlicet jubet gratitudinis causâ remunerare. Nimis etiam invidioſè ſuſpicatur; remunerantes aut dona dantes ſpiritu Simoniaco moveri; cùm nullâ ratione judicandi ſint velle, ut ita dicam, Deum offendere gratis, dando ut pretium, non autem tanquam motivum aut remunerationem, cùm poſtremo hoc modo idem obtinere valeant quod prætendunt. Denique compellendi eſſent Clerici legibus & ſtatutis ad remunerandum, ſicut fit circa ſtipendia Clericorum, &c.

Si poſterius dicendum eſſe volueris, ſummoperè profectò cavendum eſt iſtiuſmodi remu-

neratoribus, ne dum Eccleſiam non audiunt toties prohibentem omnem pecuniarum dationem pro beneficiis Eccleſiaſticis, ipſi tanquam ethnici & publicani reputentur.

Deinde ille qui beneficium Eccleſiaſticum accepit, vel dignus eſt, vel indignus. Si dignus: non gratuitum donum, ſed debitum recipit virtutis ſuæ præmium: nec tu tanquam benefactor illi gratificaris, ſed tanquam juſtitiæ (ſaltem diſtributivæ) debitor reddis quod debes: hic enim quàm maximè valet illud Senecæ, Non poteſt dari beneficium ſapienti, cui quicquid datur de ſuo datur. Ideòque non niſi injuſtè munera ſuper innocentem accipere prætendis: Si quid amicum erga bene feci, inquit Plautus, aut conſului fideliter, non videor meruiſſe laudem, culpâ caruiſſe arbitror.

3. de benef.

Pſal. 14.

Sin autem quâpiam in re benevolentiæ tuæ officium verſari exiſtimas, reddet proculdubiò ille juxta leges veræ gratitudinis: Sapientis quippe eſt benè debere, inquit Seneca, & beneficia benè ſolvere: interdùm autem ſolutio eſt ipſa cõfeſſio. Hic verò preces, affectus, conſilium, amicitia, cumulata erũt remunerationis beneficia. Sicut enim liberalitas, ita gratitudo non cumulatione patrimonii, ait S. Hieronymus, ſed largitatis aut recognitionis definitur affectu. Ideòque dives qui pecuniâ remunerare videtur, non ipſe gratus eſt, quia dedignatur beneficium, inquit S. Ambroſius, quod

Epiſt. 83.

lib. de viduis. [printed: lib. de [vid.]

Lib. 2. offic. cap. 25.

ideò datum ſit, eò quod is qui dedit reddendum ſibi à divite uberiùs exiſtimaverit.

Cœterùm ſi beneficium dando accipit, qui digno dedit: quantò magis qui beneficia Eccleſiaſtica dignis confert. Et ſi beneficium dignis ubi das, omnes obligas: certè Deum ſibi obſtrictum habet, qui munera Eccleſiæ diſtribuit dignis: Erit enim illi Deus merces magna nimis. *Senecâ.* *Idem.*

Si indignus fuerit: non jam remunerationem mereris beneficium Eccleſiaſticum illi dando, ſed odium potius; quia non tu illi beneficus, ſed malevolus largitor exiſtimandus es. Sunt enim quædam nocitura impetrantibus, inquit Seneca, quæ non dare, ſed negare beneficium eſt. Æſtimabimus utique utilitatem potius quàm voluntatem petentium: nam exhortari in perniciem rogantium ſæva bonitas eſt. Quemadmodùm pulcherrimum opus eſt, etiam invitos nolenteſque ſervare, ita rogantibus peſtifera largiri, blandum & effabile odium eſt. Pecuniam non dabo quam numerari adulteræ ſciam, ne in ſocietate turpis facti aut conſilii inveniar. Immò ſi potero revocabo, ne poſſit quandoque dicere, ille amando me occidit. Hæc Philoſophus ethnicus è re noſtrâ aptiſſimè dixit. *de beneſ.*

Ei quoque conſonat S. Auguſtinus dicens: Aliquandò melius aliquid dabis, etiam cùm injuſtè petentem correxeris. Porrò ſi juſtitiæ convenit ſuam cuique beneficio gratiam *Serm. de monte dom.* *Seneca ep. 83.*

reddere, ipſe injuriæ tallionem, aut certè malam gratiam jure reſtituet.

Poſtremò, vel ille qui beneficium Eccleſiaſticum tibi dedit, remunerationem pecuniæ expectavit, vel non. Si ſecundum: non utique illi ingratus fueris, ſi non dederis, quod nonniſi cum illius oſtenſione offerre potes: Nam lucrum pietas neſcit pecuniæ, ait S. Ambroſius, in quo pietatis diſpendium eſt. Si primum non ille jam tibi beneficium dedit: hæc enim beneficii inter duos lex eſt, ait Seneca, alter ſtatim oblivíſci debet dati, alter accepti nunquam; qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit. Sed potiùs quæſtuoſiſſimum fœnus commendavit; ideòque ſi non reddideris, quod expectat, nequaquam illi ingratus, ſed juſtus impietatis vindex fueris. Demus beneficia, non fœneremur, inquit Seneca, dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitavit cùm daret. Sin autem reddideris quod expectat, non gratitudinis causâ, ſed ex fœnoris debito pecuniam ſolvis, eâque ratione beneficium convinceris emiſſe. Sicut Abraham dicitur emiſſe ſepulturam ab Ephron: Quamvis enim Ephron, inquit S. Thomas, gratis ei ſepulturam offerret, perpendit tamen Abraham, quod gratis recipere ſine ejus offenſa non poſſet. Emiſſet utique ſimoniacè, ſi vel ſepultura res ſacra fuiſſet, vel niſi per injuſtam vexationem in jure ſepulturæ redimendo fuiſſet excuſatus.

Lib. de S. Ioſeph cap. 2.

de benef.

2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Ex comparatione uſuræ cum Simoniâ illuſtrantur ea, quæ dicta ſunt de benevolentiâ & gratitudine.

§. I.

Cùm uſuræ vitium palliaretur prætextu gratitudinis, reſponſum eſt eum qui mutuum daret eo animo, ut plus reciperet, uſurarium reputari.

CUM contractus uſurarius affinitatis multùm habeat cum Simoniaco, unus ex altero illuſtrari plurimùm poteſt: ſicut enim ſimilibus munerum retributionumque technis pariter eludi ſeu palliari ſolent, ita neceſſe fuit illos ejuſdemmodi reſponſionibus explicari.

Quidam pro fœneratâ pecuniâ, inquit S. Hieronymus, ſolent munuſcula diverſi generis accipere, & non intelligunt, uſuram appellari & ſuperabundantiam, quidquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint. *Ad cap. 18 Ezechiel.*

Lib. de Tobiâ cap. 8.

Plerique refugientes præcepta legis, ait S. Ambroſius, cùm dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunias uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum tanquam uſurarum emolumenta requirunt. Id autem non niſi gratuitò ſibi rependi volebant: ſubdit enim inter varia ejuſmodi captionum exempla: ſi inſtaurandum convivium putat, ad negotiatorem mittit, ut abſynthiaci cupellam ſibi gratis deferat.

Cap. conſuluit. extra. de uſuris.

Tres caſus ſibi propoſitos refert Urbanus III. his verbis: Conſuluit tua nos devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuò traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat.

Et utrùm eodem reatu criminis involvatur, qui (ut vulgò dicitur) non aliter parabolam juramenti concedit, donec ſine exactione emolumentum inde percipiat.

Et an negotiator pœnâ conſimili debeat condemnari, qui merces ſuas longè majori pretio diſtrahit, ſi ad ſolutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam ſi ei incontinenti pretium ſolvatur.

Ad quos ſic reſpondet: Verùm quia quid in his caſibus tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſtè cognoſcitur, in quo dicitur, date mutuum, nihil inde ſperantes: hujuſmodi homines pro intentione lucri quam habent (cum

Digitized by Google

omnis uſura & ſuperabundantia prohibeatur in lege) judicandi ſunt malè agere, & ad ea quæ taliter ſunt accepta reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi.

In hoc textu Pontifex apertè damnat uſuræ mutuum, cui nulla pactio adjicitur fœneratitia, propter ſolam intentionem aut ſpem recipiendi aliquid ultra ſortem, per quam quiſpiam inductus fuit ad mutuandum. Unde à pari facilè infertur, non poſſe excuſari à Simoniâ collationem beneficii ſine pacto, intuitu tamen pecuniæ & lucri factam.

Quoniam autem ſecundus caſus obſcurior videtur, propter terminos, parabolam juramenti, illos ſic apud Panormitanum expoſitos reperies: quandoque contingit, quod debitor jurat reſtituere mutuum infra menſem, & adveniente termino, & non valens commodè ſolvere, rogat creditorem, ut differat terminum: ille malitioſè non vult prorogare, ut prius aliquod lucrum inde percipiat, & lucro percepto prorogat terminum: iſte talis tenetur. Videtur enim recipere lucrum pro termino prorogato. Ita ille.

Abbas ad hoc cap. n. 7.

✝
IHS
♥

§. 2.

De Circumſtantiis mutui & collationis beneficii, propter quas gratis fieri debent.

ITaque obſervandum eſt primò, quod ſicut in mutuo, ita in proviſione de beneficio gratis aliquid detur: ſed hæc eſt differentia, quod in mutuo res quæ datur ſit materialis, & in proviſione beneficii Eccleſiaſtici res eſt ſpiritualis; eſt enim applicatio externa alicujus ad miniſterium Eccleſiaſticum.

Eſt & alia differentia, quod mutuans verè ſit Dominus & proprietarius rei quam mutuat: proviſor verò beneficii ſit tantùm miniſter, non Dominus. Immò ipſe etiam qui beneficio per reſignationem cedit, cùm ſit tantùm uſufructarius, eo tantùm nomine (videlicet miniſtri) beneficium in alterum transferre dicitur. Subit enim ex conceſſione Eccleſiæ vices electoris aut patroni: immò minus quidpiam facit, ut conſideranti patebit.

Obſervandum eſt ſecundò, quod ſicut pecunia mutuata per ſe non fructificat, ſed tantùm ex induſtriâ utentis, ita etiam officium ſeu miniſterium Eccleſiaſticum per ſe nullum fructum temporalem parit: ſed tantùm per accidens ex labore beneficiarii per modũ ſtipendii,

in quantùm dignus eſt operarius mercede ſuâ. Unde ſicut mutuans nihil commodi prætendere debet ex mutuo, ita à fortiori nec qualiſcumque proviſor beneficii ex collatione illius. Deficit enim, ut aiunt, titulus dati & accepti.

Ideòque ait S. Auguſtinus, ſi fœneraveris homini, ideſt mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid pluſquam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud; ſi pluſquam dediſti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus non laudandus. *In pſal. 36.*

Licet autem ex mutuatâ pecuniâ lucrum ſequatur, & ex beneficio Eccleſiaſtico fructus: quia tamen uterque eſt proventus perſonalis, nihil is qui induſtriam aut laborem non contulit prætendere licet. *Vide S. Thomam 2. 2. q. 78. art. 3.*

Obſervandum eſt tertiò, quod ſtrictè loquendo mutuans plerumque non teneatur mutuare, nec delectum facere certarum perſonarum: poſſum enim dare mutuò etiam divitibus. Proviſor verò beneficii plerumq; tenetur & beneficium conferre, & ſi conferat, ſemper juxta voluntatem Dei, qui eſt Dominus principalis proprius & legitimus. Unde & beneficii collator comparatur eleëmoſynario Principis, qui eleëmoſynas ipſius in pauperes diſtribuere tenetur juxta ejuſdem voluntatem. Ideòque ipſius beneficentia ex hoc etiam capite eſt minus æſtimabilis, quia beneficium eſt *Vide eundem ibid. art. 1. ad 4.*

Digitized by Google

3. de benef. quod alienus dat, inquit Seneca, alienus autem eſt qui potuit ſine reprehenſione ceſſare: Ideò beneficium eſt quod quis dedit, cum illi liceret etiam non dare.

Ex his colligi poteſt, & quo animo proviſor beneficii illud conferre debeat, & qualiter beneficiatus ad remunerandum ex gratitudine aſtringatur. Illis utique qui præmeruerunt donare juſtum eſt: inquit Salesburienſis, ſive honeſtum & juſtum eſt beneficia dare dignis qui præmeruerunt: ſicut & pium eſt mutuum dando ſubvenire indigentibus: ita tamen ut id reſpiciatur in ſingulis, inquit, quod in facie ſapientis ſine rubore & notâ valeat denudari. *Lib. 8. Polyc. cap. 4.*

Ad quid igitur reſpexit mutuans aut beneficium conferens? (quippe in obligatione ad recompenſandum ex debito amicitiæ magis conſideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quàm quantitas ejus quod fecit) ſi ad benevolentiam, atque ex puro affectu moveatur, eorum quidem recompenſationem quæ pecuniâ non menſurantur pro mutuo exigere licet, putà benevolentiam & amorem ejus qui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi, inquit S. Thomas: & de hoc honeſta eſt querimonia, ſi non ſatisfiat: in proviſione verò beneficii turpis, quia conferens debuerat imprimis intendiſſe ad dignitatem perſonæ, ſeu voluntatem Dei, qui rerum ſpiritualium verus eſt Dominus. In quo tamen illi etiam copioſa merces proponitur vita æterna. In lucrum *S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 2. & 4.* *Ibid. in corp.*

utique cedunt quæ benè meritis conferuntur,& de ipſo munere magis acquiritur,cum optimis. Digna prę ſtantur: unde & cum Senecâ dici poteſt, nemo non cùm alteri prodeſt ſibi profuit, virtutum omnium pretium in ipſis eſt, rectè feciſſe facti merces eſt. Si ad aliquid pretio æſtimabile reſpexit: in utroque, mutuo ſcilicet & collatione beneficii, jam turpis eſt intentio; utpote oneroſa, quatenùs exigitur expectaturve recompenſatio lucrativa, quaſi per obligationem pacti taciti, ſicut ait ſanctus Thomas.

Caſſiodor. lib. 4. epiſt.

Ibid. ad 3. & in corp. art.

Exemplo rem demonſtro, Titius eget pecuniâ Pariſiis, venit Sempronius, & offert litteras cambiarias, ſed remiſſo lucro, quod inde quærere poterat: præſumitur gratiam feciſſe Titio; qui ideò tenetur ad rependendum affectum benevolentiæ: & ſi fortè contigerit Sempronium ſimili favore indigere, ex morali ſeu antidorali obligatione Titius tenebitur illam reddere, ſi poſſit. Primum eſt per ſe, poſterius eſt per accidens. Verùm ſi incontinenti Sempronius requirat Titium de pecuniâ ſimili ſibi Romæ numerandâ remiſſo etiam lucro cambiario, atque ipſe Titius intelligat illum eò reſpexiſſe, dum priorem ſummam obtulit. Tum ille certò ſibi perſuadebit munus Sempronii mercenarium fuiſſe: Ideòque omiſſo omni benevolentiæ affectu, rependet debitum pro dono, non amorem pro benevolentiâ aut liberalitate.

Sin autem uterque propriam cujuſque neceſſitatem animadverterit, nimirùm quod Titius egeat pecuniâ Pariſiis, Sempronius Romæ, eâque intentione conveniant, ut invicem ſibi gratiam rependant, ſivè voce, ſivè nutu, aut per mutua circumſtantiarum indicia: licet exteriùs nihil pacti fuerint, ſed tantùm expectaverint; ad id tamen præſtandum viciſſim tenebuntur, quaſi ex pacto tacito, ſicut innuit S. Thomas.

2. 2. q. 78. art. 2.

Illud præterea conſideratione dignum eſt, quod licet gratitudo requirat recompenſationem beneficii in caſu indigentiæ; in recompenſatione tamen amicitiæ oportet habere reſpectum ad amicitiæ cauſam. In amicitiâ utilis debet recompenſatio fieri ſecundùm utilitatem, quam quis ex beneficio conſecutus eſt. In amicitiâ autem honeſti debet in recompenſatione haberi reſpectus ad electionem, ſivè ad affectum dantis, quia hoc præcipuè requiritur ad virtutem. Ita S. Thomas.

S. Thomas 2. 2. q. 106. art. 5.

Exempli causâ, in beneficio mutui, quod eſt ſecundùm utilitatem, poteſt quis intendere illud recompenſare in caſu indigentiæ per ſimile mutuum aut aliam utilitatem: quia alter mutuum dando intendit providere utilitati mutuatarii. In collatione verò beneficii Eccleſiaſtici, quæ eſt ſecundùm honeſtatem, quâ videlicet quiſpiam intendit providere Eccleſiæ de miniſtro idoneo, dignus efficitur, ut ſi contingat quod tu etiam beneficium conferre

debeas, ipſum aliis (ſi tamen cœtera ſint paria) præferas.

Sub ſimili ratione docet S. Thomas, quod *Ibid. q. 100*
ſi aliquis Clericus alicui Prælato impendat ob- *art. 5. ad 1.*
ſequium honeſtum, & ad ſpiritualia ordinantum (putà ad Eccleſiæ utilitatem & miniſtrorum ejus auxilium) ex ipsâ devotione obſequii redditur dignus Eccleſiaſtico beneficio, ſicut & propter alia bona opera. Undè ſi Prælatus hoc intuitu dederit beneficium Eccleſiaſticum, non intelligitur dediſſe propter munus ab obſequio.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Gratificatio munerum ac retributionum pro beneficiis indè viciosa efficitur; undè contractus Simoniacus ſpecialiter malus exiſtit.

§. I.

Cùm res ſpiritualis nullo commodo temporali compenſari poſſit, irreligiosè munera aut retributiones pro eâ offeruntur.

1.2.q.100 art.1. corp. TRIPLICI ratione Simonia eſt actus ex genere ſuo malus, inquit S. Thomas: primò quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari, ſicut de ſapientiâ, dicitur pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Secundò, quia Prælatus Eccleſiæ non eſt Dominus rerum ſpiritualium ſed diſpenſator; ſecundùm illud, Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei. Tertiò, quia

Proverb. 3.

1. Cor. 4.

Digitized by Google

ſpiritualium origo provenit ex gratuitâ voluntate Dei, juxta illud gratis accepiſtis, gratis date. *Matth. 10.*

Hinc apparet primò, gratificationem munerum ac retributionum ad Simoniam pertinere, cùm ille qui ea offert aut expetit, tam parvì rem ſpiritualem æſtimet, temporalem verò tanti, ut unam pro alterâ commutare ac compenſare velit. Ideòque Concilium Toletanum undecimum dicit: multæ ſuper hoc capitulo Patrum ſententiæ emanaverunt, ſcilicet nè impretiabilem ſancti Spiritus gratiam donis vel muneribus quis exiſtimet comparandam. *Cap. 9.*

Ita planè ſicut S. Iſidorus Peluſiota dixit: Vendentes & ementes ſacerdotium magnum contra ſe proferunt argumentum ſuæ quam de hoc negotio habent opinionis; alioquin non auſi eſſent emere vel vendere rem divinam, quę optimę debetur adminiſtrationi, rectiſque moribus. Concilium quoque Conſtantinopolitanum ſub Gennadio non immeritò ſcripſit: Oportet gratiam ſemper eſſe gratiam, & argentum apud eam nequaquam intercedere. Sit ergò ab omni ſacerdotali dignitate & miniſterio alienus, & anathematis loco ſubjectus, qui & ſe per pecunias (videlicet præmiando, vel remunerando) acquirere exiſtimat: quia fieri non poteſt, ut conveniant, quæ convenire nequeunt, & ut mammona Deo conſentiat, vel ut qui ei ſerviunt Deo ſerviant. *Lib. 5. ep. 276. ad Herminum.* *Ep. circul. apud Baron. ad an. 459.*

Quod verò illi qui munera ad movendum aut retribuendum offerunt, hujuſmodi æſtimationem ſeu appretiationem rei temporalis cum ſpirituali faciant, convinci facilè poſſunt, ſi ab ipſis inquiratur, dum v. g. decem millia librarum pro quâdam præbendâ numeraverunt; num ſi quindecim millia aut amplius gratitudinis, ut aiunt, causâ numeranda fuiſſent, ea dare voluiſſent? Reſpondebunt, opinor, ſe nequaquam daturos. Quid ſi duodecim, aut undecim millia? hic fortè cunctabundi hærebunt: eâque ratione apparet æſtimationem præbendarum facere juxta conſuetudinem mercimoniorum. Similiter ii qui remunerationes receperunt, abundè ſibi repenſum eſſe exiſtimant, ſi temporalia quæ retribuuntur, copioſa fuerint: ideòque per vile, ſicut aiunt Patres, metallum, res divinas inpretiabiles compenſari credunt.

Quamquam igitur rependi poſſit par gratia pro mutuo, quia res mutuo data temporalis cùm ſit, aliâ ſimili compenſari poteſt: Beneficium tamen Eccleſiaſticum, quod ſpirituale eſt, nullo dono temporali remunerari poteſt, quia eſt alterius generis. Undè ſequitur, quod licet mutuans poſſet abſque vitio uſuræ deducere in pactum expreſſum obligationem illam antidoralem ſeu ad remunerãdum, quâ recipiens mutuum tenetur in caſu, ſimile beneficium mutuanti referre: modò hoc adjiciatur, quod promittens non plus obligetur, quàm aliàs tenebatur

tenebatur pacto ceſſante: ſicut aliquos rectè docere putat Couvarruvias. Abſurdum tamen eſt, quod collator ſimile pactum faciat de certâ pecuniæ quantitate pro antidoro beneficii rependendâ.

Lib. 5. var. cap. 20. n. 4.

Ratio eſt, quia licet in modo paciſcendi nulla fortè appareat turpitudo: quatenùs tamen temporale & ſpirituale ſic invicem comparantur, ut unum per aliud compenſari poſſe credatur, irreligioſitas eſt & contemptus rei ſacræ; utpotè quod, ſicut ait Synodus Conſtantinopolitana, cœleſtibus & ſpiritualibus donis nulla eſt cum terrenis & temporalibus commutandi ratio.

Epiſt. cit.

Propterea Toletanus quidam Archiepiſcopus jure merito abdicarat Clericum ſuum, quod alicui, qui manum ei fecit imponi, promiſerat & exhibuerat annuum ex pacto ſervitium, quaſi non ingratus gratiæ, inquit Stephanus Tornacenſis, quod munus ab obſequio peræque ac munus à manu in hoc ſacro contractu reprobetur.

Epiſt. 51.

§. 2.

Cùm Collator Beneficii non ſit Dominus, ſed miniſterium tantùm exhibeat, non ipſe retributione dignus eſt, ſed potius Deus.

HOc eſt alterum caput, ex quo Simonia injuſtitiæ ſpecialis redarguitur, quod videlicet collator non ſit Dominus beneficii, ſed tantùm miniſter ad ipſum diſtribuendum. Per hoc autem quod beneficium vendat, aut ab eo aliquis emat, æſtimatur quaſi eſſet Dominus principalis, qui ſicut ait S. Auguſtinus erat proprius error Simonis: putans hoc eſſe hominum, inquit, voluit eſſe ſuum, quod hominum putavit, emere voluit. Unde etiam Henricus Imperator in quodam Epiſcoporum Concilio, Simoniam appellavit ſpirituale latrocinium.

Hom. 23. ex 50. hom.

Apud Barõ. ad an. 1047

Sic omninò dum datur munus ad movendum aut ad retribuendum pro beneficio, collator æſtimatur Dominus principalis, quatenùs eum quis remuneratione dignatur, aut ipſe remunerationem ſibi vendicat. Ideòque non immeritò Propheta dixit, eos eſſe ſocios furum, qui diligunt munera, ſequuntur retributiones.

Iſaias cap. 1.

Exemplo res patebit: ſi quis miniſter regius pecunias accepiſſet ab ipſo Rege, diſtribuendas

Digitized by Google

in cives emeritos: ipſe verò exinde lucrum captaret, prætextu remunerationis pro benevolentiâ, ſine dubio plagii reus teneretur. Atqui collator beneficii eſt Dei miniſter, à quo poteſtatem accepit beneficia dignis & emeritis fidelibus diſtribuendi. Ergo ſi exinde intendat propriis commodis providere, proculdubio concuſſionis reus habendus eſt.

Ideò cùm Taraſius Conſtantinopolitanus dixiſſet, multipliciter multiſque modis ex Evangelio & Apoſtolorum Patrumque præceptis nos doceri, in ſanctificatione Sacerdotii mores ab avaritiâ longè alienos præſtare, neque in ullius Sacerdotalis Viri ordinatione aurum argentumve accipere, aut aliud quidpiam vendicare: Rationem reddit his verbis, nam cum gratis gratiam Spiritus acceperint, gratis etiam iis qui ab ipſis accipiunt dare juſſi ſunt, ex voce Domini hac ipsâ libertate poteſtateque acceptâ. Nempè beneficia gratis dandi, ſicut ipſi gratis acceperunt. *Epiſt. ad Adrian. papã.*

Sicut itaque Hormiſdas Papa prohibet, ne benedictio per impoſitionem manus, quæ, inquit, à Deo eſſe creditur, pretio comparetur, quia Simon Magus Spiritum ſanctum volens pretio mercari, Apoſtoli Petri fuit deteſtatione percuſſus. Ita Bonifacius etiam Papa cùm dixiſſet, Scimus quod omne datum optimum & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, à quo bonæ voluntatis donum accipit, qui ſancto delibe- *Apud Ivone part. 5. cap. 77.* *Apud Grat. 1. q. 2. cap. quam pio.*

Digitized by Google

rationis arbitrio gratis Deo ſervire diſponit; ſic deinde concludit: Reſtat ergo, ut qui pro aliquâ Eccleſiaſticâ ſuſceptione munus accipit, donum Dei, quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendat; munus autem largiens importunus emat.

Sic ex adverſo exiguam de donatione divinâ exiſtimationem ſe habere demonſtrat, qui ſic hominem intuetur, ut ei propter beneficium, quod tanquam à miniſtro ac diſpenſatore accepit, copioſam remunerationem deberi exiſtimet. Turpe ſiquidem eſt, inquit Hilarus Papa, quod quiſpiam homini putet deberi, quod Dei eſt.

In Synod. Rom. apud Baron. ad an. 465.

Quapropter cum S. Ambroſio conqueri licet: Si homini pecunia datur, qui nihil in ordine ampliùs operatur, niſi ſolum ſervitium quod ei creditur, cur Deo totum negatur, qui ipſum ordinem (ſeu beneficium) tibi largitur? Juſtumne tibi videtur, ut ſervus honoretur, & Dominus injuriam patiatur; & injuſtè accipiat Sacerdos pecuniam, & Deus patiatur ab homine injuriam? Sed quia pro conceſſo ordine Deus à te nihil expectat, cur à te Sacerdos impudenter pecuniam expectat? Deus homini concedere voluit gratis, & Epiſcopus rapax pecuniam ab homine expetit gratis? Deus homini, ut certè benignus, gratis donavit; & Sacerdos malignus eum ſine causâ prædavit.

lib. de dignit. ſacer. cap. 5.

Digitized by Google

§. 3.

Cùm beneficia aliaque dona ſpiritualia ex gratuitâ Dei voluntate proveniant, non niſi gratis ſunt diſtribuenda.

TErtium vitium quo contractus Simoniacus laborat, eſt quod res ſpiritualis, cujus origo ex gratuitâ Dei voluntate procedit, non niſi cum onere per hominem ipſius miniſtrum tradatur: unde & contractus onerоſus appellatur. Qui autem beneficia conferunt intuitu munerum ad movendum vel retribuendum, datorum, non ſine onere ea largiuntur; utpotè vel muneris exigente merito, prout loquitur Concilium Forojulienſe, aut retributionis cogente debito. *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5.* *Cit. ſupra.*

Porrò hac de causâ beneficium, ſeu alia quæcumque res ſpiritualis, gratia vocatur, quia gratis datur, & non turpis lucri causâ; alioquin ſi ex muneribus, jam non eſt gratia, ſed potius merces appellatur, juxta illud, accepit juſtam mercedis retributionem. Ideòque qui ejuſmodi retributiones ſectantur errore Balaam mercede effuſi non immeritò dicuntur. Eorum Cathedras evertit Dominus qui columbas vendunt, inquit, S. Chryſoſtomus, loquens ipſo facto, quid faciunt in templo multæ *AdRom. 11.* *Ad Hab. 2.* *Epiſt. Iudæ.* *In Matth.*

Digitized by Google

columbæ venales, ex quo una columba gratuita deſcendit in templum corporis mei. Vendunt utique columbas, ait Beda, qui acceptam Spiritus ſancti gratiam, non gratis, ut præceptum eſt, ſed ad præmium dant.

Certè habemus expreſſum de hac re Domini præceptum, habemus luculentum ejuſdem gratis dantis exemplum: Gratis inquit accepiſtis, gratis date. Unde etiam S. Ambroſius ait, habes Domini præceptum, Vatis exemplum, gratis accipere, gratis dare: nec vendere miniſterium, ſed offerre: non enim pretio taxatur Dei gratia, nec in Sacramentis lucrum quæritur, ſed obſequium Sacerdotis. Hæc ille.

Matth. 10. *lib. 4. in c. 4. Luca.*

Per iſtud autem præceptum Concilium Conſtantinopolitanum ſub Gennadio docet, præcidi omnem callidam evaſionem, quâ quiſpiam pecuniam accipiendo Simoniæ labem quovis prætextu declinare conaretur. Cùm Dominus noſter ſuis diſcipulis Evangelii prædicationem credidiſſet, inquit, eoſque per univerſum terrarum orbem inter homines ad docendum miſiſſet, apertè juſſit, ut quod gratis accepiſſent, eis quoque gratis darent. Non aurum vel argentum, aut alias omninò materiales & terrenas facultates pro eis acquirentes.

Epiſt. circul. apud Baron. ad an. 459.

Hoc autem præceptum non ſolùm illis, ſed etiam nobis per illos dedit, quos in illorum gradum & locum ſubſtituere dignatus eſt. Et

oportet ſicut illi tunc, nos quoque nunc, accuratè & diligenter ſervare, nec in iis quæ technas ſophiſticas non admittunt, uti ſophiſticâ calliditate, nec aleam periculoſam jacere. Gratis inquit accepiſtis, gratis date: non poſſidentes æs neque aurum neque argentum in zonis veſtris. Simplex eſt & aperta hujus mandati ratio, quæ nihil habet varium, nihil quod non ſit facilè & explicatum, nihil quod ſophiſticâ expoſitione egeat. A me, inquit, accepiſtis dignitatem Sacerdotii, ſi mihi pro ipſo, parùm quid vel magnum ſolviſtis, & hoc à me venditum eſt, vos quoque aliis vendite. Si autem gratis accepiſtis, vos quoque gratis date. Quid hoc mandato apertius? Quid autem iis qui parent utilius? Væ illis reverà qui Dei donum acquirere, & illud pro pecuniâ dare in animum inducunt. In fel enim amaritudinis & vinculum iniquitatis, juxta S. Petri ſententiam, à ſuâ malitiâ comprehenſi ſunt.

Non erat profectò apertum iſtud præceptum, juxta mentem recentiorum: ſed indigebat ſophiſticâ expoſitione, eâque admodùm utili, gratis dare, videlicet nihil ex pacto accipere ſivè parùm ſivè magnum: gratitudinis verò causâ non ſolùm parùm, ſed & magnum liberè & ſine remorſu conſcientiæ & dare & accipere. Sed væ illis qui donum Dei pro pecuniâ dare, aut accipere in animum inducunt.

Quoniam tamen, proſequitur Gennadius

nomine Concilii, iis ita apertè prohibitis, quidam ſunt in Galatarum Eccleſiâ deprehenſi, propter turpe lucrum & avaritiam hæc ſalutaria & humana præcepta negligere & tranſgredi, ea quoque ipſa nobis renovare viſum eſt, cum hac ſanctâ Synodo, quæ in hâc regione novâ Româ nunc agit: ut ſine omni penitùs inventione, & omni prætextu, callidoque commento impiam hanc & odioſam, quæ neſcio quomodò in ſanctiſſimas Eccleſias ſubiit, conſuetudinem, omninò exſcindamus; ut cùm pura & abſque ullâ cauponatione eorum qui ordinantur renuntiatio ab Antiſtitibus facta fuerit, gratia Spiritus ſancti supernè veniat, ... Oportet enim gratiam ſemper eſſe gratiam, & argentum apud eam nequaquam intercedere. Ita ille.

Lib. de dignit. Sacerd. cap. 5.

Quapropter cum S. Ambroſio interrogo te Fratrem & Concleriuum noſtrum, quia & ego Clericus ſum, & cum Clerico loquor. Dic ergò mihi Frater Clerice; cùm dares pecuniam quid accepiſti? gratiam clericalem accepi. Ergò interrogo te, hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Reſpondet, cur inquis? ut reor quod gratis datur. Ergò ſi gratis datur, & auro non æſtimatur, à te cur pecuniis comparatur? Reſpondit, non inquit mihi daretur, ſi pecuniâ non emeretur, nec Clericus fuiſſem ordinatus, ſi pecuniam non dediſſem. Ergò ut apparet ex reſponſionibus tuis, gratiam cùm ordinarêris non accepiſti, quia gratuitò non me-

Digitized by Google

nuiſti: & ideò Frater, ſi gratiam non accepiſti, quomodò Clericus effici potuiſti? nam & ad diſcipulos ſuos Dominus ait, gratis accepiſtis, gratis date: cur ergò gratiam æſtimaſti te pretio poſſidere? nam ut video aurum dans perdidiſti, & ſanctam gratiam non accepiſti. Hæc ſunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Quomodò animus quæſtuoſus & Simoniacus à gratuito & benevolo diſcerni poſſit.

§. 1.

Qui ad proprium commodum reſpicit Beneficium conferendo, habet animum Simoniacum; ideòque dum cognoveris eò ſpectaſſe, cavendum eſt ne retribuas.

SIMONIACI non ſunt ad eum modum hæretici quo cœteri, quia in mente nullum habent errorem: ſed tantùm ſecundùm exteriorem *S. Thomas 2.2.q.100. art.1.ad 1.*

Digitized by Google

proteſtationem, quâ aliquis vendens donum Spiritus ſancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe dominum ſpiritualis doni, quod eſt hæreticum. Ideòque quantùm ad fidem integri ſunt, inquit Petrus Damiani, quantùm verò ad monetæ fabrilia Simoniacæ damnationis laqueis innectuntur. Sicut Mileſii ſtulti non ſunt, inquit S. Thomas, ſed operantur qualia ſtulti; ita dicendum quod Simoniaci non ſunt propriè & per ſe loquendo hæretici, cùm non habeant aliquam falſam opinionem: ſed dicuntur hæretici propter ſimilitudinem actus, quia ita operantur, ac ſi æſtimarent donum Spiritus ſancti pecuniâ poſſideri, quæ æſtimatio eſſet hæretica. Undè S. Gregorius in reg. dicit: Cùm avaritia ſit idolorum ſervitus, quiſquis hanc in Eccleſiaſticis dignitatibus dandis non præcavet, infidelitatis perditioni ſubjicitur, etiamſi fidem quam negligit tenere videatur. Hæc ille.

Opuſc. 6. cap. 6.

In 4. diſt. 25 q. 3. a. 1. §. ad 2. quæſt.

At verò qui beneficia conferunt intuitu munerum ac retributionum, falſam inſuper exiſtimationem habent, quod putent ſe gratis conferre, & benevolentiam præſtare iis, quibus beneficia largiuntur, dum proprii commodi verſuram ſtudioſiſſimè venantur: in quo ſanè turpius prolabi cognoſcuntur, quàm qui ſcientes prudenteſque offendunt: non quia malignior ſit eorum culpa, ſed quia periculoſior: Ignorantia quippè ſecuriorem, ſecuritas ſegniorem facit, non nequiorem. Eſt tamen ex hoc

S. Bern. l. de præcept. & diſpenſat. cap. 18.

Digitized by Google

proculdubio deterior, quod illi ſolùm habent malam intentionem, iſti & falſam conſiderationem: illi uno carent è duobus bonis bono zelo, iſti & vero judicio.

Non eſt utique obſcurum rationis naturalis dictamen, quod ſenſatis omnibus ſuggerit, nullam eſſe amicitiæ gratiam, quam ſpes aut utilitatis propriæ cura allicit. Ideòque qui ſe ſpectat, inquit Seneca, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: negotiatio enim potiùs eſt, ait idem, non amicitia, quæ ad commodum accedit, detrahitque amicitiæ, qui illam parat ob bonos caſus. *In epiſt.*

Non propterea debes amare amicum, inquit S. Auguſtinus, ut aliquid tibi præſtet, ut pecuniam vel aliquid commodi temporalis: non illum amas, ſed id quod tibi præſtat. Amicus gratis amandus eſt, propter ſe, non propter aliud. Me ipſum ames oportet, ait Tullius, non mea, ſi veri amici ſumus. Amare nihil aliud eſt inquit idem, niſi eum ipſum diligere quem amas, nullâ indigentiâ, nullâ utilitate quæſitâ. *Lib. de Civit. Dei.* *1. de finibus* *In Lælio.*

Non refert autem quod alteri commodum aliquod largitione ſuâ afferre videatur, quodq; eum cumulatione, ut ita dicam, patrimonii aut honoris lætificet: quia hoc non ipſius fuit propoſitum, ſed potiùs ut ſibi quæſtuoſiſſimè conſuleret, quæ profectò voluntas benevola dici nequaquam poteſt. Beneficium enim illius commodum ſpectat cui præſtatur, non

noſtrum, inquit Seneca; alioquin nobis illud damus. Itaque multa quæ ſummam humanitatem afferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator urbibus prodeſt, medicus ægrotis, mango venalibus; omnes iſti qui ad alienum commodum pro ſuo veniunt, non obligant eos quibus proſunt.

S. Bernard. Quapropter qui beneficium Eccleſiaſticum quærit, (ſeu potiùs quæritur, quæri enim, non quærere debuerat) ſi animadverterit eum qui beneficio ceſſurus eſt, aut collatorem ipſum retributionis muneri intendere, caveat omninò ab omni cum eo commercio: columba ſiquidem non eſt venalis, gratis datur, quia gratia vocatur. Ideò, Fratres mei, inquit S. Auguſtinus, quomodò videtis eos qui vendunt propolarios: quiſque quod vendit laudat: circuit ergò aliquis emere columbam, unuſquiſque ad propoſitum ſuum laudat quod vendit: avertatur illius cor ab omni vendente, veniat ubi gratis accipitur, ſeu ubi ſine expectatione retributionis datur. Dominus enim nolens aliquid in domo ſuâ terrenæ eſſe negotiationis, ait Beda, neque ejus quæ honeſta putaretur, negotiatores omnes expulit foras.

S. Auguſt. tract. 10. in Ioannem.

Tullius de amicitiâ. Quod ſi quidam boni in hujuſmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment ſe ita alligatos, ut ab amicis in Deum peccantibus non diſcedant: nulla quippe eſt excuſatio, ſi amici causâ peccaveris: nam cùm cōciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, diffi-

cile eſt amicitiam manere ſi à virtute defeceris. Ideòque hæc lex in amicitiâ ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus; turpis enim excuſatio hæc eſt, & minimè accipienda, tum in cœteris rebus, tum ſi contra Deum ſe amici causâ feciſſe fateatur.

Sin autem coarctat te gratitudinis humanæ officiũ, ſcias velim falsâ te hallucinatione confundi. Nemo enim inquit S. Thomas, tenetur facere quod non poteſt honeſtè. Turpes autem ſunt iſtiuſmodi remunerationes, quæ ſicut publicam famam, ita propriæ conſcientiæ teſtimonium refugiunt. Quare ſi reddere beneficium non aliter quàm per ſpeciem injuriæ poteris, cave ne iniquiſſimo animo ad inhoneſtum conſilium per mediam infamiam tendas. Cùm enim in amicitiâ, quæ honeſtâ non ſunt poſtulantur, religio & fides anteponatur amicitiæ, ait Tullius.

2.2.q.106. art.3.ob.5.

Seneca epiſt. 83.

3. offic.

E contra verò ſi illi, qui beneficium gratuitò dedit, munus ad recompenſandum offeratur, melius chriſtianâ puritate ipſum reſpuet, ne in ſocietate turpis facti inveniatur: nec utique caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Unde etiam ſcribit Propheta, Beatus qui projicit avaritiam ex calumniâ, & excutit manus ſuas ab omni munere. Et Tullius dicit, caput eſſe in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Illa quippe liberalitas ſola probanda eſt, inquit

Iſaias c. 33

2. offic.

Act. 4. in Verr.

Digitized by Google

idem, quæ ſine periculo exiſtimationis eſt.

In hujuſmodi ſanè negotio integritatem Epaminondæ Thebanorum Ducis imitari convenit, ad quem cùm Artaxerxes Perſarum Rex tria Daricorum millia miſiſſet, vehementer increpuit legatum regium, juſſitque ut urbe excederet, & quamprimùm Regi ſuo munera referret, his verbis: Si favet commodis Thebanorum, habiturus eſt Epaminondam amicum, non pecuniâ coemptum, ſed gratis: ſi minùs, habebit hoſtem. Similiter ſpretis retributionibus dicendum eſt Clerico, ſi dignè vixeris, votis meis ſatisfacies: Sin minùs, gratus mihi nunquam fueris.

Plutarch. in Græc. apoph.

§. 2.

Per comparationem animi quæſtuoſi cum benevolo, colligitur quodnam ſit inter utrumque diſcrimen.

VT affectus gratuitus ac benevolus diſcerni poſſit à quæſtuoſo ſeu Simoniaco, conſiderandum eſt, quid & quâ ratione quidpiam moveat ad beneficium conferendum, vel ad remunerationem faciendam. Uterque enim affectus debitum parit, ſed unum vocatur juſtitiæ, alterum amicitiæ: & ideò utrique ſatisfaciendum eſt, ſed uni ſtricto modo, & quaſi ſerviliter, alteri ſpontaneè & quaſi gratioſè.

Digitized by Google

Primò dupliciter quidpiam movere poteſt ad agendum, per ſe, & per accidens, ſeu occaſionaliter: finis per ſe movet; eſt enim cujus gratiâ aliquid fit, ſeu quod cùm verſetur in mente operantis, movet alliciendo ad ſui proſecutionem. Occaſio confert quidem ad agendum, & ſinè eâ actus non fieret: verùm per ſe non movet agentem, nec ita placet, ut ad ſui proſecutionem alliciat.

Varia utriuſque modi proponuntur à Philoſophis exempla, ſed Juriſtæ unum repetunt ex l. 1. §. ſexum, ff. de poſtulatione, quod inſtituto noſtro non parum congruit. Cùm enim Calphurnia fœmina impudenter apud Prætorem poſtulaſſet, edixit Prætor, nè fœminæ ampliùs poſtularent. Edictum equidem iſtud non fuiſſet ſancitum, niſi Calphurnia impudenter poſtulaſſet; negat nihilominùs Juriſconſultus Calphurniam illam dediſſe cauſam finalem edicto Prætoris, ſed eam fuiſſe, ut iretur obviam impudentiæ fœminarum; nevè earum pudicitia pudorque in forenſibus acclamationibus læderetur: impudentiam verò Calphurniæ occaſionem tantùm dediſſe edicto Prætoris.

Sic etiam qui beneficium Eccleſiaſticum dat amico ſuo digno, & ad hoc ab ordine charitatis movetur; ex eo videlicet, quod cœteris paribus amici præferendi ſint, habet pro fine regulam charitatis: amicitia verò eſt tantummodò occaſio. Secus autem dicendum, ſi

humano affectu quis moveretur, quia tunc regula charitatis non habet locum in intentione conferentis. Sed cùm materialiter ſe habeat, amicitiæ propenſio per ſeipſam movet.

Eodem modo, qui ex vero affectu benevolentiæ ei confert beneficium Eccleſiaſticum, à quo munus aliquod aliàs accepit, v. g. obſequium, mutuum, &c. & per quod contraxit amicitiam, movetur per ſolam benevolentiam, non autem per munus non eâ intentione acceptum, licet ipſum benevolentiæ cauſam dederit. Qui autem animo Simoniaco beneficium confert, reſpicit ad ipſum munus aliàs acceptum, vel ad remunerationem accipiendam, & per ea movetur ad benefaciendum alteri, vel ut ſe à debito doni jam accepti liberet, vel ut inducat obligationem remunerationis præſtandæ. Et hoc eſt quod Canones ſupracitati toties inculcant ſimilia verba, munus à manu, ab obſequio, &c. eâ intentione impenſo, per pecunias, interventu muneris, &c.

Secundò, quoniam ille qui finem aliquem intendit proſequi, uti debet medio illi proportionato: ita ille qui remunerationem pro beneficio, vel qui beneficium per munus quærit, facit comparationem rei ad rem, temporalis videlicet, quæ pro munere vel recompenſatione datur, cum ſpirituali, qualis eſt beneficium, quaſi per æſtimationem pecuniæ. Totum enim quidquid homines poſſident in terrâ, inquit S. Auguſtinus, omnia quorum domini ſunt, pecunia

Lib. de diſcipl. Chriſt. cap. 1.

pecunia vocatur, ſervus ſit, vas, ager, pecus, quidquid horum eſt, pecunia dicitur. ſic & ille qui beneficium accipit, quatenus rem temporalem pro illo reddit, exiſtimat rem ſpiritualem temporali compenſari poſſe; atque ita illam appretiare dicitur.

Hinc autem uterque concipit animo obligationem naſci in eo, qui primo loco donum accepit, tantundem rependendi, nec prorsùs ei ſatisfieri per affectum, donec re ipsâ & in effectu aliud donum fuerit repenſum, quo facto, credit obligationem ſolvi: Et ideò etiamſi contigeret benefactorem indigere, neuter exiſtimat ſupereſſe obligationem novæ remunerationis faciendæ; utpotè quod cùm uterque attenderit æqualitatem rerum, intentioni reciprocæ jam ſatisfactum eſſet. Turpe quidem dictu, inquit Ovidius, ſed ſi modò vera fatemur, vulgus amicitias utilitate probat. *2. Pont. 3.*

E contra verò qui ex affectu benevolentiæ movetur, ſicut non attendit ad remunerationem ſecuturam, ita nec quantitatem doni ſui æſtimat: ſed nihil concupiſcendo, ex purâ benevolentiâ aut amicitiâ tribuit. Nam doni vocabulo ſignificatur id, ait Catechiſmus Concilii Tridentini, quod benignè & gratuitò, nullâ ſpe remunerationis propoſitâ, donatur. *part. 1. art. 8. num. 9.* Eòque majus beneficium reputatur, quò affectus fuerit major, quamvis donum exiguum videatur. Beneficium eſt arentibus ſiti monſtrare fontem, ait Seneca; eo animo quidquid *3. de benef.*

debetur quo datur, nec quantùm ſit, ſed à quali voluntate perpenditur: majus enim aut minus fit, quamvis idem ſit tẽpore, loco, causâ.

Ex quo equidem intelligitur obligationem naſci in eo qui beneficium accipit, ſed moralem tantùm, nimirùm benevolentiæ ad rependendum affectum pro affectu, quaſi gratiam pro gratiâ: cùm enim, ſicut ait S. Thomas, benevolentia ſub æſtimationem pecuniæ non cadat, per ea tantùm quæ pecuniâ non menſurantur compenſari poteſt, putà per amorem reciprocum. In amicis non res quæritur, inquit S. Hieronymus, ſed voluntas, quia & alterum ab amicis ſæpè præbetur, alterum ſolùm charitas tribuit. Et S. Ambroſius, non ſolùm quæritur quantùm, inquit, ſed de quanto, & quo animo detur.

2. 2. q. 78. art. 2. ad 3.

Epiſt. ad Demetriad.

In epiſt. ad Cor.

Hanc doctrinam pluribus in locis tradit S. Thomas, dum v. g. ait: Quod ſicut in juſtitiâ, quæ eſt virtus Cardinalis attenditur æqualitas rerum, ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum. Et quod recompenſatio alicujus beneficii dupliciter fieri poſſit, uno quidem modo ex debito juſtitiæ, ad quod quis ex certo pacto obligari poteſt (nempe ex conventione tacitâ vel expreſsâ:) & hoc debitum, inquit, attenditur ſecundùm quantitatem beneficii quod quis accepit. Alio modo tenetur quis ad recompenſandum beneficium ex debito amicitiæ, in quo magis conſideratur affectus, ex quo aliquis beneficium contulit, quàm

2. 2. q. 106. art. 5.

Ibid. q. 78. art. 2. ad 2.

V. de ibid. q. 106. art. 1. ad 2.

etiam quantitas ejus quod fecit.

Tertiò, cùm quilibet homo propriæ rei incumbat ut eam conſervet, tum demùm priorem mutat animi affectum, quatenùs alienam ſibi magis proficuam & commodam fore conſiderans, ut eâdem fruatur, Dominium propriæ rei à ſe abjicit, & in alium transfert. Sicut autem per hoc ſtudet proprio commodo, ita intendit incontinenti utilem ſibi rependi recompenſationem quam ſectatur: ideòque quoniam non ex ſpontaneâ benevolentiâ (quam amorem amicitiæ vocant) ſed potius ab extrinſeco per concupiſcentiam commodi fuit inductus, ægrè fert niſi compenſatio reddatur. Ex quo non ſe amicum benevolum, ſed invitum creditorem oſtendit. Nemo utique invitus benè facit, etiamſi bonum eſt quod facit. *S. Aug ſerm. de verb. dom.* Hujuſmodi ſanè beneficiorum fœneratores leporibus comparat Plutarchus, quæ ſimul pariunt, & aliud alunt: ita iſti dantes ſtatim petunt, & ponentes tollunt, inquit ille.

Hinc etiam fit, quod qui beneficium accepit, animum illius præſentiens, ſtatim vult reddere recompenſationem ab ipſo intentam: in quo agnoſcit ſe quaſi ex juſtitiâ debitorem, non quaſi ex benevolentiâ gratum; juxta illud Senecæ, qui feſtinat reddere, non animum habet grati hominis, ſed debitoris. *Lib. 4. de benef. apud S. Thom. 2. 2. q. 106. a. 3.* Nec tamen retribuit liberaliter, tanquam ex debito honeſtatis, quam ſcilicet quis ſponte facit, inquit S. Thomas, *Ibid. art. 1. ad 2.* ſed potius quaſi ex neceſſitate:

etenim cum rebus propriis uti fruique mallet, quas equidem ſæpè non niſi cum labore magno congeſſit; non tanto amore ac benevolentiâ tali proſequitur prætenſum beneficum ſuum, ut eas liberaliter profundere velit. Verùm intuitu tantummodò doni quod accepit intentionisque ipſius donantis ſibi ſatis indicatæ ac perſpectæ, quaſi ex metu vel pudore, aſtringitur ad reddendum; atque ita invitus ſolvit. Non eſt autem gratitudo, inquit Seneca, ſi ſit coacta. Ergo quatenùs ex debitò quaſi juſtitiæ, atque ex pactione tacitâ ſatisfacit, Simoniacus eſt.

Apud S. Thomã cit.

lib. 17. Hiſt. Trid. cap. 9. Ita Cardinalis Pallavicinus ex mente Patrum Concilii Tridentini refert, quod cùm ipſi meditarentur prohibere quippiam accipi pro conferendis ordinibus ſacris, atque in priori formâ decreti diceretur, tranſgreſſores tanquam Simoniacos eſſe puniendos, hæc clauſula fuit deraſa, quod Simonia non eſſet oblati & gratuiti doni acceptio: & idcircò ejus loco poſitum eſt, ne valeret in oppoſitum quæcumque conſuetudo ſimoniacæ pravitati favens. Quod meritò dictum, inquit Palavicinus, quia ſub eâ voluntarii ſpecie aliquid violenti latere poſſet, aut ex metu ne offenderetur Epiſcopus, aut ex pudore ne conſuetudini ſatisfieret, quod omninò Simoniam efficit.

2. 2. q. 107. art. 3. Quod verò ad benevolentiam attinet: quoniam debitum amicitiæ, ſicut ait S. Thomas, dependet ex honeſtate debentis, ideò debet

reddi debito tempore, ſecundùm quod exigit rectitudo virtutis: quæ quidem aliquid exigit ſimpliciter, benevolentiam videlicet, honorem, & reverentiam, ſicut ſupradictum eſt. Aliud verò per accidens præter animum & ſolùm in caſu neceſſitatis, qualis eſt ſubventio utilis, quæ tantummodò debetur, ſi indigeat, inquit S. Thomas. Ita S. Ambroſius ait: Pulchrum quoque eſt, propenſiorem ejus haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod aut munus contulit, ſi ipſe in neceſſitatem incidit.

Ibid. q. 106. art. 3.
Lib. 1. offic. cap. 31.

Unde qui ex affectu benevolo donum aliquod conceſſit, proprio motu & ſuâ ſponte dedit, ſeu nihil requirendo præter amorem mutuum, juxta illud S. Bernardi, illa eſt vera amicitia, quæ nihil ex rebus amici quærit, niſi ſolam benevolentiam, ſcilicet ut gratis amet amantem ſe.

Serm. 13. de modo bene vivendi.

Amor autem mutuus per ſe & abſque intentione benefici aliquid donantis requirit, quod in caſu quo ipſe indigeat, & quod alter poſſit ab indigentiâ illum liberare, id faciat. Etenim ſi voluntas hæc reciproca ſit benevola, erit etiam in caſu indigentiæ benefactiva, quia ſicut ait S. Thomas, voluntas eſt effectiva eorum quæ vult, ſi facultas adſit.

Ibid. q. 31. art. 1.

Cœteròquin ille qui liberaliter dedit, cùm utili recompenſationi ex intentione non providerit, omninò ſibi ſatisfactum eſſe cognoſcit, ſi alter donum non rependerit, vel ex eo quod non poſſit, vel ex eo quod ipſemet nō indigeat.

Digitized by Google

2. offic. Animadvertendum eſt diligentius quæ natura rerum ſit, inquit Tullius, nimirùm enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt: cõmodè autem quicumque dixit, pecuniam qui habet non reddidiſſe, & qui reddiderit non jam habere: gratiam autem & qui retulerit habere, & qui habeat retuliſſe.

Similiter ille qui ex gratitudine remunerat, non minùs ſe obligatum intelligit, ſive donum æquale rependerit, ſive non: quia debitum ſuum non ex quantitate doni, ſed ex affectu per donum manifeſtato penſat, eique ſimilem ex ſuâ parte refert. Atque ita ſi quod donum occaſione datâ benefico ſuo offerat, non illud donat intuitu accepti, ſed propriâ ſponte, & propter ipſius neceſſitatem ſeu indigentiam, quatenùs amicitia non patitur eum cui benevolumus indigentiâ aliquâ vexari: ideòque non præcisè quantùm accepit vult rependere, ſed etiam ampliùs ſi neceſſe ſit. 2. 2. q. 106. art. 6. Ita S. Thomas ait, quod gratiæ recompenſatio ſemper tendat, ut pro ſuo poſſe aliquid majus retribuat. Neſcit virtus menſuram gratiæ, inquit S. Ambroſius, nec contenta referre quod acceperat, ſed vult cumulare quod ſumpſit, nec inferior ſit beneficio, licet æquetur officio. Super Lucam.

§. 3.

Plerique cupiditatis illicio ſic obliviscuntur, ut negent ſe quæſtum ſectari, dum ex ſpecie ipſius actionis de eo convincuntur.

Cum homo non de facili affectus ſuos menſurare poſſit, & quandoque illud quod minus placet, videatur illi magis placere: ubicumque emolumenti noſtri cauſa verſatur, ſatagendum eſt, ut ex ipſius operis contextu diſpiciamus, cui fini intenderimus, aut etiam quid in effectu egerimus. Ita videlicet plerique proteſtantur, ſe in diſtributione beneficiorum Eccleſiaſticorum, non lucra, non retributiones quærere; eâque honeſti ſpecioſâ imaginatione deluſi, ſibi atque aliis imponunt; cùm ipſius facti forma quæſtuoſiſſimam mentem prodat. Unde Petrus Damiani ait, licet verbis non contraxerint venalis pacta commercii, operatione tamen non uno, ſed omnibus his probantur irretiti.

S. Thom. q. 3. ſupplem. art. 1. ad 4.

Supra cit.

Ut quid enimverò perſonas eligunt, vires animumque cujusque inſpiciunt, ut gratia cum fœnore ſecurè redeat. Faſtidioſi pauperum, proximorum, amicorum, ſanctorum, doctorum; divites, extraneos, irreligioſos, imperitos promovent. Ita profectò reſigna-

Lactantius lib. 6. inſtit. cap. 11.

Tit. de officiis Epiſc. n. 18. apud author. qui diſſertatione de penſionibus Gallicè ſcripſit.

tiones factæ prius incognitis, inquit Synodus quædam Rothomagenſis, aut his quos nulla virtus aut ſingularis eruditio, aut alia honeſta cauſa commendat, ſuſpectæ de Simoniâ redduntur.

Iſaiæ 5.

Ex quo etiam peſſima hæc de gratifitione munerum aut retributionum opinio inolevit, juſtificatur impius pro muneribus, & juſtitia juſti aufertur ab eo. Omnes inquam judicamus beneficiis Eccleſiaſticis idoneos, à quibus munera vel accepimus vel ſperamus; ſic etenim quiſque propria commoda appetit, & frivolâ æſtimatione fallitur, quia nec libero judicio præferendam ſibi perſonam examinat mens, quam cupiditas ligat.

S. Greg. lib. 2. indict. 11. ep. 29.

S. Greg. Nazianſ. orat. in laud. S. Baſilii.

S. Greg. Rom. ep. ſeſecundin. refert Burchard lib. 2. cap. 239.

Pet. Damiani opuſc. 31. cap. 5.

Proh Pudor! uno quaſi die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam antea contulerunt, præterquam velle. Verendum nobis eſt, & dicere pudet, quia Sacerdotali ducatui applicantur, qui exordium religioſæ militiæ non viderunt.

Licet autem ſæpè ſub hac intentione munus accipiatur aut ſperetur, ut ſi munificus reperiatur eſſe culpabilis aut ineptus, beneficium nõ lucretur: id tamen facilè quidem promitti, ſed difficile valet impleri. Acceptis quippe aut expectatis muneribus, ſi contra datorem quid agere volumus, mox in ore noſtro verba molleſcunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quâdam pudoris erubeſcentiâ præpeditur: Mens quippe

Digitized by Google

percepti vel percipiendi muneris conſcia, debilitat judicialis cenſuræ vigorem.

Sic iterùm vulgo loquuntur, ſeſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. Dictu quidem proclive: Honeſta oratio eſt. Sed quis eſt tandem qui inopis & optimi viri cauſæ non anteponat in operâ dandâ gratiam fortunati & potentis? à quo enim expeditior & celerior remuneratio fore videtur, in eum ferè eſt voluntas noſtra propenſior. *Tullius 2. offic.*

Ut quid poſtmodùm tanquam à debitoribus exigunt, & extorquendis remunerationibus vehementer inſiſtunt? Odioſum ſanè genus hominum, inquit Tullius, officia exprobantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare qui contulit. *Pet. Dam. ſupra cit. In Lælio.*

Ut quid largiuntur honores Eccleſiaſticos ad metalli pondera ponderatos, tantumque pecuniæ numeratur pro reditu, quantùm de obventionibus ejus non poſſit per duodecimum obvenire? unde cum S. Ambroſio dicere licet, quomodò hanc gentiles ſi haberent, ingravarent querelam, quod Sacerdos ferias miniſterii ſui emat totius patrimonii ſui damno, & privatus univerſæ commoditatis diſpendio uſum publici mercetur officii, prætendens communis ſalutis excubias, domeſticæ inopiæ ſe mercede ſolatur, quia miniſterium non vendidit, ſed gratiam comparavit. Ita ſanè familiæ plerumque bonis omnibus ſpoliantur, *Alanus de Rupe ſupra cit. Pet. Bleſ. cit. cont. Symmachum.*

Digitized by Google

ut expectationi iſtorum beneficorum ſatiſ-fiat, qui, ſi fortè præmaturâ morte beneficiarii obierint, nullâ amplius beneficentiâ miſeros parentes ſolantur. Unde & Dionyſio tyranno comparari poſſunt, de quo interrogatus Diogenes, quemadmodùm amicis uteretur, ut vaſculis, inquit; dum plena ſunt evacuat, & dum vacua abjicit.

Bruſ. lib. 1. cap. 3.

Ex his utique ac ſimilibus circumſtantiis declaratur cupiditatis interioris quærentis quæ ſua ſunt ſecretum virus, prout & ipſe Alexander III. Papa teſtatus eſt. Ideòque quantumcumque verba, nutus, atque ipſiuſmet cordis palpitatio cohibeantur, plerique in præcipitium ſimoniacæ voraginis inconſideratè prolabuntur. Quapropter illos hiſce verſiculis S. Raymundi iterum admonendos eſſe cenſeo.

Supra cit.

In Summul.

In muneribus dandis attendas quatuor iſta,
Quis dans, quiſve petens, quæ res, quæ cauſa petendi.
Eſt (etenim) Simonia gravis ſummam ſi fratribus ullam
Des ſpe præbendæ; vel ſi promittis eandem:
Sic pro præbendâ formes tua verba petenda:
Quod puer hic peto ſit veſtris de fratribus unus:
Hac habitâ, tua det quantum vult pura voluntas.

§. 4.

Nullum majus exhiberi poteſt benevolentiæ teſtimonium, quàm ſi beneficia Eccleſiaſtica dignis conferantur.

ENimverò ſi te coarctat amicitiæ regula, ut gratis diligas, quam gratis amandus eſt Deus, qui jubet ut hominem diligas. Tu prius dilige Deum, primùm exhibe te bonum, & quære alterum ſimilem tibi: diſſimilitudo quippe morum, diſtantia vitæ, ingenia contraria ſolvunt amicitiam: vera autem amicitia inter bonos tantùm oriri ſolet, inter meliores proficere, inter optimos conſummari. *S. Auguſt. de civit. Dei. Senec. in Prov. Phil. Pet. Bleſ. l. de amicitiâ.*

Hæc eſt vera amicitia, quæ Chriſti glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præſentia corporum tantùm, non ſubdola & palpans adulatio: ſed Dei timor, & divinarum ſcripturarum conciliant ſtudia. Sunt equidem illi amici amicitiâ malâ, quæ nec amicitia dicenda eſt, quia obſequium illos parit amicos, eoſque munus, non gratia copulat. Non ſunt autem illi fideles in amicitiâ, ſed citò deſerunt, niſi ſemper acceperint: Qui enim utilitatis causâ adſumptus eſt, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. Hæc itaque amicitia ſola vera eſt, quâ homines uſu vitæ ſimiles pio *S. Amb. de amicit. c. 7. S. Auguſt. S. Iſidor. lib. 3. de ſum. bono. Senec. ep. 9. ad Lucian. Caſſ. in pſal.*

Digitized by Google

ac fideli junguntur: quæ non eſt commodi aut conſuetudinis, ſed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem, virtutem, & mutuam benevolentiam in iſtâ vitâ mortali: ac ſuperius, quidquid invenimus divinum eſſe in homine, incipiat homo amare, & non amabit in homine niſi Deum.

S. Auguſt. in ſer. quodam.

Hunc ſi amore digno ut par eſt in homine proſecutus fueris, docebit te nihil omninò ſæculare nihil temporale intueri, neque ad gratiam, neque ad præmium reſpicere: Oſtendet tibi quænam ſit voluntas ſua bona & beneplacens, quodnam ſit donum Dei, divinum munus: ita ſiquidem Clerici dicuntur, quaſi ſorte electi; omnes enim Deus elegit in ſuos. Nomen Clerus græcè ſortem ſignificat, quaſi electio homini ſit fortuita, ſed à Deo diſpoſita. Ita videlicet Deus gratiam quibusdam tradit, quâ vitam inſtituant à vulgari diſcretam, virtutis ac doctrinarum ſtudio commendabilem. Sicut & S. Chryſoſtomus de S. Poligonio olim dixit: Porrò quod elegerit illum Deus, vel ex ipſa morum integritate perſpicuum eſt.

S. Chryſoſt. Hom. 5. in ep. ad Tim. 1.
S. Hieron. de duobus gener. hominũ.
Baron. ad an. 44.
S. Iſidor. lib. de offic. eccl. cap. 2.
Orat. 1. de Poligonio,

Sic & Pachimeres ad illa verba S. Dionyſii, divina gratia promovet N. &c. quibus electio ordinandi legitima declaratur, dicit: Elatâ autem voce pronuntiat Pontifex nomen illius qui ordinatur, quia Dei amans conſecrator ſolùm declarat divinam electionem, quod non gratiâ aut munere, ſed Dei inſtinctu motus

Apud Morinum.

elegerit, eſt enim proclamatio illa divini conſilii declaratio.

Si hujuſmodi voluntatem Dei quiſquam noſſe deſiderat, fiat amicus Deo, inquit S. Auguſtinus, quia ſi voluntatem hominis noſſe quiſque vellet, cujus amicus non eſſet, omnes ejus impudentiam deriderent. Non autem quiſquam efficitur amicus Dei niſi purgatiſſimis moribus, ſapientiſſimis conſiliis, ac conſtanti voluntate uni Deo obſequendi: eſt enim charitas actio rectitudinis, oculos ſemper habens ad Deum, tantoque magis quis inhæret Deo, quantò minus diligit proprium: illa itaque docebit nos nihil deferre carni & ſanguini, nihil obſequiis aut precibus, ac multò minùs muneribus: quia non eſt leve peccatum, ſicut ait S. Hieronymus, ordinationem clericatus nequaquam ſanctis & in lege Dei doctiſſimis, ſed aſſeclis ſuis tribuere, & vilium officiorum miniſtris; quodque his dedecoroſius eſt, mulierculárum precibus.

Cont. Manich. lib. 1.

S. Auguſt.

In cap. 57. Iſaiæ.

Hinc ediſcemus non continuò illum clericatu dignum eſſe judicandum, quem ſæculi leges ab eo munere non arcent: ſed oportere quod per anteactam in iis exercitationibus, quæ ad clericatum conferunt, vitam, ab ipſo Deo prævocatus, aut præëlectus comprobetur. Cumque videbitur eò profeciſſe, inquit Origenes, ut honeſtæ vitæ ſit cupidus, tum demum introducendus, ut quotidianis acceſſibus melior fiat. Eorum qui in ſacro ſunt

In lib. 8. cont. Celſū.

Ordine collocandi, prius vitam moreſque diſcutite, inquit S. Gregorius, & ut dignos huic officio adhibere poſſitis, non vobis potentia aut ſupplicatio quarumlibet ſubrepat perſonarum. Ante omnia autem cautos vos eſſe oportet ne ulla proveniat in ordinatione venalitas: ne (quod abſit) & ordinatis, & ordinantibus periculum majus immineat.

lib. 1. ep. 48.

Enimverò cum nec medici, nec pictoris nomen quiſpiam obtineat, niſi prius morborum naturas expenderit, aut varios colores miſcuerit, variaſque formas penicillo expreſſerit. Aut ſicut certum eſt, inquit S. Gregorius, non vos ante exercitui ducem præponere, niſi vobis labor ejus fideſque complaceret, & niſi eum anteactæ vitæ virtus & ſolicitudo aptum eſſe monſtraverit. Si verò non aliis niſi hujuſmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux eſſe debeat animarum, qualis interceſſor cujus orationibus populus fidelis ſe credit communiri, ex iſtarum rerum comparatione colligitur.

S. Greg. Nazian. orat. in laudem S. Baſilii.

Epiſt. ad ſecundin. apud Burchard. l. 1. cap. 239.

Ideò unicuique noſtrum in perſonâ Timothei dicit Apoſtolus, manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Quid eſt citò manus imponere, inquit S. Leo, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis. Monente verò eodem Apoſtolo atque dicente, & hi autem

Epiſt. 87.

Digitized by Google

probentur primùm, & ſic miniſtrent: quid aliud intelligendum putamus, niſi ut in his provectionibus non ſolùm matrimoniorum caſtimoniam, ſed etiam laborum merita cogitemus, ne aut à baptiſmo rudibus, aut à ſæculari actu repentè converſis officium paſtorale (ſeu etiam Clericale, nam & Apoſtolus, & S. Leo de Diaconis quoque loquuntur) credatur; cùm omnis gradus militiæ chriſtianæ de incrementis profectuum debeat æſtimari, an poſſint cuiquam majora committi. Hi etenim vaſa aurea & argentea ſine dubio declarantur, qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum & argentum purum eſſe meruerunt. Hæc S. Leo.

Unde apparet futilem iſtorum eſſe excuſationem, qui eorum quos promovent indignos aut minus probatos, prætexunt mores cum ſtatu in melius commutandos. Si enim mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, ait Propheta, & vos poteritis benè facere cum didiceritis malum. *Ierem. 13.* Quis utique ullam ullius boni ſpem habebit in eo, inquit Tullius, cujus primum tempus ætatis palam fuerit ad omnes libidines divulgatum? *Ad Senat. poſt redit.* non poteſt quiſpiam noſtrûm ſubitò fingi, neque cujuſquam vita mutari, aut natura converti. *Idē pro Silla.*

Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: Et ſi radix ſancta & rami, inquit Apoſtolus, ſignificās *Ad Rom. 11.*

Digitized by Google

quod à primordio juventutis malis aut bonis artibus ſtudiiſque addictę, demonſtrentur mores futuri vitæ ſubſequentis. Quemadmodùm enim ex amphorâ primùm, quod eſt ſinceriſ-

In Epiſt. ſimum effluit, ait Seneca, graviſſimum quodque ſubſidit: ſic in ætate noſtrâ quod optimum

S. Leo epiſt. 87. eſt. Ideòque meritò Sanctorum Patrum venerabiles ſanctiones, cùm de Sacerdotum electione loquerentur, eos demùm idoneos ſacris adminiſtrationibus cenſuerunt, quorum omnis ætas à puerilibus exordiis, uſque ad provectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet, ut unicuique teſtimonium prior vita præberet: nec poſſet de ejus provectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro caſtis moribus, pro actibus ſtrenuis, celſioris loci præmium deberetur. Si enim ad honores mundi, inquit S. Leo, ſine

Ibid. ſuffragio temporis, ſine merito laboris, indignum eſt pervenire, & notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adjuvant: quàm diligens & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio divinorum munerum & cœleſtium dignitatum, ne in aliquo Apoſtolica & Canonica decreta violentur, & his Eccleſia Domini regenda credatur, qui legitimarum inſtitutionum neſcii, & totius humilitatis ignari, non ab infimis ſumere incrementum, ſed à ſummis volunt habere principium. Cum valdè iniquum ſit & abſurdum, ut imperiti magiſtris, novi antiquis, & rudes præferantur emeritis.

Oportet

Digitized by Google

Oportet igitur quod ſuper eum, qui ad ſacra miniſteria evocatur, jam requieſcat Spiritus ſanctus, qui teſtimonium reddat ſpiritui noſtro, ſeu conſcientiæ noſtræ, quod ipſe ſit filius Dei, genus electum, regale Sacerdotium. Oportet quod ad faciendum bonum operante jam ſpiritu bono commoveatur, quod per eum jam apud Patrem cœleſtem gemitibus inenarrabilibus interpellet. Septem graduum erat aſcenſus civitatis, inquit S. Gregorius, ſic debet per ſancti Spiritus ſeptiformem gratiam aditum vitæ Clericalis invenire: per timorem Dei humilis, per pietatis ſtudium devotus ac miſericors, per ſcientiam diſcretus, per mentis fortitudinem liber, per conſilium cautus, per intellectum providus, per ſapientiam maturus. *In Ezechiel.*

Per hujuſmodi autem religioſæ vitæ ſpecimina declaratur internæ vocationis gratia, non ſecus ac florente virgâ Aaronis divino teſtimonio ipſius electio ad ſacerdotium Iſraëliticum manifeſtata fuit. Unde & Apoſtolus, nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquã Aaron. Enimverò ſicut habitare in corpore animam probant vitales ſenſus corporis, ita habitare in animâ Spiritum ſanctum probat vita ſpiritualis. Illud ex viſu & auditu dignoſcitur, iſtud ex charitate, humilitate, cœteriſque virtutibus. In talibus opinor requieſcit ſpiritus Dei, inquit S. Bernardus, qui non ſunt attritæ frontis, ſed verecundi, ſed timorati, *Num. 17.* *S. Greg. in Moral.* *Lib. 4. de conſid. c. 4.*

qui præter Dominum timeant nihil, nihil ſperent niſi à Deo: qui ſunt compoſiti ad mores, probati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, manſueti ad patientiam, ſubjecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, Catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationem, concordes ad pacem: in loquendo modeſti, in adverſitate ſecuri, in proſperitate devoti, in zelo ſobrii, in miſericordiâ non remiſſi, in otio non otioſi, in hoſpitio non diſſoluti, in convivio non effuſi, ubique & in omnibus circumſpecti.

lib. 2. de dignit. ſacerd..

Porrò non ſufficit iis qui beneficia Eccleſiaſtica daturi ſunt, teſtimonium quod opinione collegerint, inquit S. Chryſoſtomus, ſed cum favore illius bonæ opinionis, etiam ipſos animos eorum qui eliguntur noſcant diligenter; qui enim ordinant indignos eiſdem ſubjacent pœnis, quibus illi qui indigni ſunt ordinati, etſi dicant ſe vitia eorum ignoraſſe. Unde Apoſtolus ad Timotheum, manus citò nemini impoſueris, nec communicaveris peccatis alienis. Immò ex hoc gravius crimen efficitur, quoniam promoverunt eum quem ignorabant, atque id quod putabatur eſſe excuſatio, fiet accuſatio.

In vitis Pōtif.

Ne autem quis exiſtimet impoſſibile eſſe ſublimioribus perſonis eâ ratione ſibi probatos ſemper habere ſacrorum miniſteriorum candidatos, proſtat inſigne Martini V. Pontificis exemplum, qui ſicut ait Platina, non unicuique petenti beneficia con-

Digitized by Google

ferebat, ſed mente agitabat, quis potiſſimùm ex ſibi notis eſſet idoneus : & ſi homines provinciarum non noſſet, mox peritos regionum viros pietate ſibi commendatos conſulebat, quis eſſet moribus dignus, atque ita & Eccleſiis & hominibus honore dignis pariter conſulebat, cum maximâ celebritate nominis ſui. Ita rectè monet S. Gregorius, dicens: Si quando de his tractari neceſſe eſt, graves expertoſque viros conſiliis veſtris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione penſate. *Lib. 2. Reg. epiſt. 48.*

Cœterùm ipſæ perſonæ ſublimiores in tantùm eorũ probitatem, quos de vitâ ac moribus inferiorum conſulunt, ſibi perſpectam habere debent, quod non lucri, favoris, aut ejuſmodi perverſo ſtudio abducantur: quantùm ipſorum intereſt, hac in re non decipi. Undè S. Ambroſius ait, quamvis multi ex Epiſcopis ab hoc ſcelere videantur immunes (ſcilicet vendendi gradus Eccleſiaſticos) miniſtri tamen eorum in hoc ſæpè polluuntur. Sed ad miniſtros reſpicit quidquid à diſcipulis delinquitur. Ita ille. Epiſcopi autem qui tradunt Eccleſias, quibus non oportet, ait Origenes, ipſi ſunt qui vendunt columbas, ideſt gratiam Spiritus ſancti, quorum cathedras Chriſtus evertit. *Lib. de dign. ſacerd. cap. 18.*

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

De quibuſdam caſibus, in quibus apparet temporale ad commutationem rei ſpiritualis dari poſſe.

§. 1.

De ſtipendiis eorum qui in actibus ſpiritualibus deſerviunt.

EA quæ in ſuperioribus dicta fuerunt, ſufficere poſſent ad evolvendam atque convincendam Simoniacæ pravitatis palliationem; (niſi quod auro loquente quæcumque ratio ſit inefficax) verùm quoniam, ſicut ait S. Thomas, ſermones morales univerſales minùs videntur utiles, quod actiones in particularibus ſint, operæ pretium fuerit ad caſus quoſdam animadvertere, nè quidam indè harpagones apprehendant, quibus veritatis teſtimonia complicare conentur.

In prol. 2. 2.

Primùm, S. Gregorius ita reſpondiſſe fertur: quod ſi is qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus ac petitus, poſt acceptas

Apud Ivon. part. 5. cap. 109. ſummæ & Gratian. cap. ſicut, 1. q. 2.

chartas & pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodò causâ voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus; quia ejus oblatio nullam culpæ maculam gerit, quæ ex ambientis petitione non proceſſit. Undè colligi videtur, quod aliquid remunerationis causâ accipere liceat.

Verùm S. Doctor imprimis excludit intentionem aliquid accipiendi, per terminos, ſi non ex placito, & ex ambientis petitione non proceſſit; petitio autem non ſolùm verbis, ſed & nutibus, & ipsâ actione manifeſtatur, ſicut ſupradictum eſt. Deindè permittit tantùm munuſcula exigui pretii, quæ nullo modo in compenſationem beneficiorum venire æſtimantur. De quibus S. Hieronymus ait: Noſtri Sacerdotes quinque tantùm obolorum ſint mercede contenti, qui utinam non pretia villarum, ſed quinque obolos acciperent. *In cap. 3. Michea.*

Hæc itaque intelligi debent, de iis Clericis, qui poſt gratiam à collatore factam interveniunt pro litteris expediendis, ſicut patet ex verbis præcedentibus, ubi dicitur quod miniſter vel Notarius vocem ſuam vel calamum vendere non debeant; hi etenim aliquid accipere poſſunt per modum ſtipendii, ſiquidem illud aliundè non habent. Verumtamen non tanquam exigentes pretium laboris ſui, qui collationi rei ſpirituali annectitur, eamque complet: ſed potiùs pro congruâ ſuſtentatione, quæ ſicut ait S. Thomas debetur per *2.2.q.100. art 3.ad 2.*

modum gratuitæ recompenſationis : ideòque omnibus peractis vi ſtatuti tantùm, aut laudabilis conſuetudinis, proviſi de beneficio compelli poſſunt ad ejuſmodi ſolutionem.

Verùm talis nulla ſubeſt cauſa in ipsâ collatione, ubi nullus labor, aut aliud ſimile quid intercedit, quo ſtipendium aut ſuſtentatiò per modum recompenſationis gratuitæ debeatur. Ideòque nullo ſtatuto aut conſuetudine introduci poteſt, ut propterea aliquid ſolvatur exigaturve. Ergo ſi quidquam donari contingat, non niſi intuitu collationis, ſeu ad illam compenſandam, ex intentione ipſius dantis, ſive ante, ſive poſt tribuitur, quod eſt Simoniacum.

Sic & Canonicis præbendæ reditus ac diſtributiones dantur intuitu laborum, per modum ſtipendii & ſuſtentationis debitæ, juxta illud Concilii Agathenſis: Clerici qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundùm ſervitii ſui meritum, à Sacerdotibus conſequantur.

Apud Grat. 1. q. 2. cap. ult.

Utrùm autem Canonici ea colligere poſſint tanquam pretium laboris propriè, an verò tanquam ſtipendium ſuſtentationis? dubitant antiqui. S. Bonaventura, Richardus & plerique alii primum affirmant : alii tamen communiter & tutius ſecundum tantummodò concedunt. Quod etiam S. Gregorius ſatis declarat dum ait : Verus quiſque prædicator non modò prædicare debet, ut in hoc tempore

in 4. diſt. 25

hom. 17. in Evang.

Digitized by Google

mercedem recipiat: ſed ideò mercedem recipere, ut prædicare ſubſiſtat.

Attamen ſi Canonicus principaliter reſideat propter diſtributiones, Simoniacus eſt: quia ſic lucrum temporale æquiparat obſequio ſpirituali, atque hoc tanquam medio utitur, ut finem illum obtinere valeat: v.g. do hoc ut illud habere poſſim, quod eſt genus quoddam emptionis & venditionis. Ita ſiquidem in quâlibet venditione pretium accipitur quaſi finis, inquit S. Thomas, & ideò diſtinguendum eſt: *Quodlib. 8.* ſi enim hujuſmodi diſtributiones recipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit; & ita mortaliter peccat: ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu; ad hujuſmodi autem diſtributiones ſecundariò non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat quod non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa quare ad Eccleſiam vadat, ſed propriè hujus determinatio, quare nunc vadat, & non aliâ vice. Hæc S. Doctor, quæ valdè notanda ſunt pro iis, qui parùm erga officium divinum afficiuntur, quia ex hoc Simoniaci efficiuntur; utpotè quod per diſtributiones non determinentur, ut nunc eant, ſed ſimpliciter ad eundum. Enimverò Deus templum ſuum non mercatoris vult eſſe diverſorium, ait S. Ambroſius, ſed domicilium ſanctitatis, nec vendibili

Digitized by Google

modum gratuitæ recompenſationis: ideòque omnibus peractis vi ſtatuti tantùm, aut laudabilis conſuetudinis, proviſi de beneficio compelli poſſunt ad ejuſmodi ſolutionem.

Verùm talis nulla ſubeſt cauſa in ipsâ collatione, ubi nullus labor, aut aliud ſimile quid intercedit, quo ſtipendium aut ſuſtentatio per modum recompenſationis gratuitæ debeatur. Ideòque nullo ſtatuto aut conſuetudine introduci poteſt, ut propterea aliquid ſolvatur exigaturve. Ergo ſi quidquam donari contingat, non niſi intuitu collationis, ſeu ad illam compenſandam, ex intentione ipſius dantis, ſive ante, ſive poſt tribuitur, quod eſt Simoniacum.

Sic & Canonicis præbendæ reditus ac diſtributiones dantur intuitu laborum, per modum ſtipendii & ſuſtentationis debitæ, juxta illud Concilii Agathenſis: Clerici qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſerviunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundùm ſervitii ſui meritum, à Sacerdotibus conſequantur.

Apud Grat. 1. q. 2. cap. ult.

Utrùm autem Canonici ea colligere poſſint tanquam pretium laboris propriè, an verò tanquam ſtipendium ſuſtentationis? dubitant antiqui. S. Bonaventura, Richardus & pleri-que alii primum affirmant: alii tamen communiter & tutius ſecundum tantummodò concedunt. Quod etiam S. Gregorius ſatis declarat dum ait: Verus quiſque prædicator non modò prædicare debet, ut in hoc tempore

in 4. diſt. 25

hom. 17. in Evang.

Digitized by Google

mercedem recipiat: ſed ideò mercedem recipere, ut prædicare ſubſiſtat.

Attamen ſi Canonicus principaliter reſideat propter diſtributiones, Simoniacus eſt: quia ſic lucrum temporale æquiparat obſequio ſpirituali, atque hoc tanquam medio utitur, ut finem illum obtinere valeat: v.g. do hoc ut illud habere poſſim, quod eſt genus quoddam emptionis & venditionis. Ita ſiquidem in quâlibet venditione pretium accipitur quaſi finis, inquit S. Thomas, & ideò diſtinguendum eſt: *Quodlib. 8.* ſi enim hujuſmodi diſtributiones recipit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, Simoniam committit; & ita mortaliter peccat: ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu; ad hujuſmodi autem diſtributiones ſecundariò non quaſi in finem, ſed ſicut in id quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat quod non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa quare ad Eccleſiam vadat, ſed propriè hujus determinatio, quare nunc vadat, & non aliâ vice. Hæc S. Doctor, quæ valdè notanda ſunt pro iis, qui parùm erga officium divinum afficiuntur, quia ex hoc Simoniaci efficiuntur; utpotè quod per diſtributiones non determinentur, ut nunc eant, ſed ſimpliciter ad eundum. Enimverò Deus templum ſuum non mercatoris vult eſſe diverſorium, ait S. Ambroſius, ſed domicilium ſanctitatis, nec vendibili

religionis officio, ſed obſequio gratuito uſum miniſterii ſacerdotalis informat.

Difficultas autem moveri poteſt circa ea ſtipendia Parochorum, quæ illi ex variis occaſionibus adminiſtrandi res ſpirituales, v.g. pro matrimoniis, ſepulturis, &c. colligere ſolent, etiam ultra neceſſariam ſuſtentationem, quam ex reditibus ordinariis ſufficientem habere videntur. Nam injuſtitia videtur committi in eo, quod populus non teneatur aliud ipſis providere, quàm quod neceſſarium eſt ad ſuſtentationem congruentem ipſorum ſtatui, juxta illud Apoſtoli, habentes victum & veſtitum his contenti ſimus. Deinde vitium Simoniæ videtur intervenire in eo, quod cùm pro ſuâ ſuſtentatione habeant ſtatuta ſtipendia ex reditibus Eccleſiæ: ſi aliquid acciperent pro uſu ſpiritualis poteſtatis, inquit S. Thomas, non intelligerentur locare operas ſuas, quas ex debito ſuſcepti officii deberent impendere, ſed intelligerentur vendere ipſum ſpiritualis gratiæ uſum.

2.2.q.100 art.3. ad 3.

Verumenimverò licet olim prohibitum eſſet talibus ex cauſis quidquam exigere vel accipere, dum videlicet miniſtri Eccleſiæ congruentem victum ex decimis ac reditibus Eccleſiæ percipiebant: Poſterius tamen contigit, ut ejuſmodi cenſus in uſum Collegiorum Canonicorum aut Monaſteriorum cederent; ac ii qui verbum Dei & Eccleſiæ Sacramenta populo adminiſtrabant, ſuſtentationem ſuo

Vide Grat. 1.q.1.à cap. 99.& 13.q. 2.à cap. 6.

ſtatui convenientem plerumque non haberent. Unde neceſſe fuit quod conſuetudine ſtatutisque Eccleſiaſticis introduceretur, quod iſtiuſmodi miniſtri occaſione adminiſtrationis rerum ſpiritualium ſtipendia ſibi debita colligerent. Accipere utique aliqua ad ſuſtentationem eorum qui Sacramenta Chriſti miniſtrant, inquit S. Thomas, ſecundùm ordinationem Eccleſiæ & conſuetudines approbatas, non eſt Simonia, neque peccatum: non enim ſumitur tanquam pretium mercedis, ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis. Unde dicit Gloſſa Auguſt. Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à populo, mercedem diſpenſationis à Domino. Ita ille. *2.2.q.100. art.3. ad 3.*

Porrò cum lex humana feratur de iis quæ communiter, & ut in pluribus accidunt, etiamſi quidam caſus occurrant, in quibus finis ejus deficiat, non neceſſe eſt, nec fieri poteſt, quod legiſlator iis providendo exceptionem faciat: ſed omninò ipſius diſpoſitio ſervari ſemper debet, propter confuſionem vitandam. Ideòque licet quidam miniſtri Sacramentorum ſufficientia ſtipendia habere videantur ex decimis aliiſque reditibus beneficiorum: poſſunt nihilominùs conſuetas ſtatutaſque oblationes & quoſcumque alios proventus in adminiſtratione Sacramentorum exigere, authoritate Superioris interveniente, inquit S. Thomas. *S. Thomas 1.2.q.96. art. 6.* *2.2.q.100.*

Ratio ejus eſt, quia iſtiuſmodi oblationes conſtitutæ ſunt per legem, aut à conſuetudine *art. 3. corp.*

(quæ habet vim legis) confirmatæ, ipſiſque miniſtris aſſignatæ, tanquam ſtipendia legitima illorum: eoque modo induunt naturam reliquorum proventuum, ex quibus oportet miniſtros Eccleſiæ vivere. Ideò ait S. Auguſtinus, Data per tolerabilem conſuetudinem repeti non ſolent, magiſque reprehendimus, qui talia inuſitatè repetiverunt, quàm qui ea de more ſumpſerunt: quoniam multæ neceſſariæ perſonæ rebus humanis vel invitantur, vel tenentur.

Epiſt. 54. ad Macedoniũ.

Non autem refert, quod reſpectu illorum qui aliunde habent ſufficientia, videantur ſuperflua eſſe futura, ac propterea quod non poſſint appellari ſtipendia aut ſuſtentationem neceſſitatis, prout S. Auguſtinus & S. Thomas ſuperiùs ea appellarunt. Reſpondetur enim, hoc eſſe per accidens, uti ſicut decimæ, ſi copioſæ fuerint, exigi poſſunt integræ, licet hic & nunc aliquid ſuperflui ad ſuſtentationem continere videantur: ita & hujuſmodi oblationes. Deinde cùm diſcerni facilè non poſſit, quid quantumve requiratur ad congruam cujuſque ſuſtentationem, ſeu etiam ad cooperatorum neceſſariorum alimoniam: ad lites vitandas & confuſionem, æquitas poſtulat, quod ea exigi poſſint: manente interim obligatione diſtribuendi pauperibus ſuperfluum. Unde S. Auguſtinus: iſti ſi viam vitæ mutaverint, aut excellentioris conſcenderint ſanctitatis gradum, facilius ea quæ hoc modo acquiſierunt tãquam

Epiſt. cit.

Digitized by Google

ſua pauperibus largiuntur, quàm eis à quibus accepta ſunt, tanquam aliena reſtituant. Verùmtamen ſanum conſilium fuerit iis qui ſic ſufficientia habent, ſi modicè ejuſmodi oblationes exigant: Ne, ſicut ait Tertullianus, redempta religio pretio videatur. *Apologet. cap. 39.*

Quapropter licet Superiores Prælati poſſint per ſtatuta ſua, ſicut inferiorum, ità propria jura taxare; non tamen poſſunt ad libitum illa determinare, ut quaſi venale ſit Evangelium, inquit S. Auguſtinus: ſed tantùm modica, quæ ex conſilio prudentum ſufficiant, aliis reditibus deductis ad honeſtam ſuſtentationem, & onera adminiſtrationis exercenda. Quia undè vivitur neceſſitatis eſt, inquit idem. Et ſicut Eccleſia proprias res amittere non debet, ita rapacitatis ardore alienas invadere non debet, ait S. Gregorius. S. quoque Hieronymus, Ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere divitiis, &c. *In Reg.*

Quod verò attinet ad diſpenſationes, nihil pro iis exigere licet, quia ſunt actus juriſdictionis ſpiritualis. Ubi autem in mulctam aliquid exigi datur, cedere debet pauperibus tanquam fiſco Eccleſiæ, ſicut enim ait aliquis, ni fallor S. Ambroſius, manus pauperum ſunt Fiſcus Eccleſiæ. Ideòque ait S. Cæſarius, quidquid amplius quàm nobis opus eſt à Deo accipimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum eſt, noſtris cupiditatibus vel vanitatibus reſervamus, quanti pauperes in locis ubi nos ſumus, fame & nuditate mortui fuerint: *In admonit.*

noverimus nos rationem de animabus illorum in die judicii reddituros. Et Caſſiodorus, ultra omnes cupiditates eſt, inquit, divitem velle fieri de exiguitate mendici: amentur honeſta lucra, horreantur damnoſa compendia. Nullus audeat indè tollere, quod debet collectum diſpergere.

Lib. 9. epiſt.

§. 2.

Quâ ratione liceat aliquem invitare ad ingreſſum Monaſterii, & ſpecialiter de dotibus Monialium.

2. 2. q. 106. art. 3. ad 4.

DIfficultatem movere poteſt quod ait S. Thomas, licitum eſſe aliquem provocare ad devotionem Monaſterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monaſterii ingreſſum. Ex quo ſequi videtur, quod liceat munera offerre collatori, ut inclinetur ad beneficium nobis conferendum.

Verùm imprimis diſparitas eſt, quod ſi provocans ad ingreſſum monaſterii nullum indè emolumentum ſuum ſectetur (uti ſupponendum eſt) ſed tantùm utilitatem animæ alterius, Simoniam non committat, quia videlicet ſic ex ſuâ parte nihil lucratur. Secus autem dicendum eſſet, ſi caperet aut expectaret indè emolumentum.

Dicendum eſt præterea, quod particula,

at, non ſignificet intentionem provocantis, quia idem S. Doctor citat *cap. quam pio*, ubi dicitur, nuſquam legimus Domini diſcipulos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocaſſe: ſed potiùs contingentem ex devotione erga monaſterium ingreſſum. Patetque ex verbis immediatè præcedentibus, ubi ait licitum eſſe, ſi propter devotionem quam aliquis ad Monaſterium oſtendit, largas eleëmoſynas faciendo, facilius in Monaſterio recipiatur: non enim licet eâ intentione magis offerre eleëmoſynas, quàm in *cap. Tua nos*, licuit offerre patrimonium intuitu præbendæ: ſed abſque tali intuitu eleëmoſynas ſimpliciter offerendo, quis efficitur devotus, & ex eâ causâ dignior. *Vide ibid. art. 5. ad 1.*

Alia difficultas moveri poteſt ex eo, quod Monaſterium recipere poſſit dotes monialibus datas, nec niſi earum intuitu ipſas ad monaſterium admittere. Ergò ſic etiam beneficia conferre licebit. *S. Thomas ibid. art. 3. ad 4.*

Verùm hoc argumentum nimiùm probat, videlicet quod liceret exigere pecuniam pro beneficiis, cùm licitum ſit iſtiuſmodi dotes exigere, ſicut docet S. Thomas, dum ait, quod tunc poteſt exigi ab eo qui in loco illo (Monaſterio) vult Deo ſervire, non quaſi pretium religionis, ſed ut habeat Monaſterium, undè poſſit illi providere. Si autem ſine gravamine Eccleſiæ poſſit recipi, Simoniacum eſt aliquid pro receptione exigere. Ita ille. *In 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. ad 7.*

Digitized by Google

Sicut itaque licet exigere dotes à Monialibus pro alimoniis neceſſariis ipſarum, ita & nonniſi intuitu talium alimoniorum pro ſuſtentatione ſuâ præſtandarum illas acceptare: qui autem dat munera vel retributiones collatori, non habet intuitum ad propriam indè ſuſtentationem; ſed potiùs ad collatoris lucrum: eâque ratione fit commutatio rei ſpiritualis ad temporalem.

Porrò hinc movetur nova dubitatio, num videlicet dum monaſteria ſunt ſufficienter dotata, licitum ſit intuitu alimoniorum quidquam exigere, an etiam hoc ſit Simoniacum? apparet utique in hujuſmodi exactione quædam avaritiæ labes, propter quam S. Thomas dicit (in verbis jam recitatis) eſſe Simoniacum: alii tamen interpretantur de Simoniâ præſumptivâ; quaſi Simonia verè non committeretur, quia jus alimentorum non eſt quid ſpirituale nec ſpirituali annexum, ſicut patet dum Monaſterium eſt tenue. Verùm cùm aliunde præſtentur alimenta congrua, præſumitur quod iſtiuſmodi pecunia detur pro ingreſſu.

Hæc ſanè explicatio videtur nimium fovere avaritiam, quæ prout in ſpiritualibus dandis ſeu eorum occaſione exercetur, Simoniam parit juxta ſupradicta. Quapropter dicendum, nullum hic eſſe præſumptioni locum: quod enim eſt indifferens ad determinandum judicium in hanc vel alteram partem, non fundat præſumptionem pro alterâ parte: ſed talis

eſſet in hoc caſu exactio pecuniæ, videlicet indifferens ad ſignificandum intentionem accipiendi pecuniam pro ingreſſu vel pro ſuſtentatione non neceſſariâ, (quippe ſola intentio interna alterutrum determinat.) Ergo ex ſola exactione non poteſt præſumi, quod pecunia accipiatur pro ingreſſu.

Eidem etiam explicationi adverſatur Innocentius III. dum ait: Simoniaca labes adeò pleraſque moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare. Paupertatis, inquit, pretextu, ut ſignificet habuiſſe intentionem ſuſtentationis ſeu alimoniorum, ſed quia falſus erat earum prætextus, dicit Simoniacâ labe fuiſſe infectas. *Cap. quoniā extra. de Simoniâ.*

Denique eadem explicatio videtur coincidere cum excuſatione veterum Simoniacorum, dicentium poſſe emi fundum, non autem conſecrationem: nam uterque ſtatus Clericalis & religioſus eſt ſpiritualis; ideòque nihil accipere licet pro ingreſſu Monaſterii, ſicut nec pro beneficio. Deinde uterque ſtatus habet bona annexa pro ſuſtentatione eorum, qui illos profitentur. Tum etiam per hoc acquirunt jus ad congruam ſuſtentationem, quæ ipſis debetur ex bonis Monaſterii ſufficientibus. *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3.*

Aliud eſt autē dum bona monaſterii non ſunt ſufficientia, quia novæ perſonæ ſic acceptandæ ſunt, ut earum ſuſtentatio non cedat ingravamē

Sicut itaque licet exigere dotes à Monialibus pro alimoniis neceſſariis ipſarum, ita & nonniſi intuitu talium alimoniorum pro ſuſtentatione ſuâ præſtandarum illas acceptare: qui autem dat munera vel retributiones collatori, non habet intuitum ad propriam indè ſuſtentationem; ſed potiùs ad collatoris lucrum: eâque ratione fit commutatio rei ſpiritualis ad temporalem.

Porrò hinc movetur nova dubitatio, num videlicet dum monaſteria ſunt ſufficienter dotata, licitum ſit intuitu alimoniorum quidquam exigere, an etiam hoc ſit Simoniacum? apparet utique in hujuſmodi exactione quædam avaritiæ labes, propter quam S. Thomas dicit (in verbis jam recitatis) eſſe Simoniacum: alii tamen interpretantur de Simoniâ præſumptivâ; quaſi Simonia verè non committeretur, quia jus alimentorum non eſt quid ſpirituale nec ſpirituali annexum, ſicut patet dum Monaſterium eſt tenue. Verùm cùm aliunde præſtentur alimenta congrua, præſumitur quod iſtiuſmodi pecunia detur pro ingreſſu.

Hæc ſanè explicatio videtur nimium fovere avaritiam, quæ prout in ſpiritualibus dandis ſeu eorum occaſione exercetur, Simoniam parit juxta ſupradicta. Quapropter dicendum, nullum hic eſſe præſumptioni locum: quod enim eſt indifferens ad determinandum judicium in hanc vel alteram partem, non fundat præſumptionem pro alterâ parte: ſed talis

Digitized by Google

eſſet in hoc caſu exactio pecuniæ, videlicet indifferens ad ſignificandum intentionem accipiendi pecuniam pro ingreſſu vel pro ſuſtentatione non neceſſariâ, (quippe ſola intentio interna alterutrum determinat.) Ergo ex ſola exactione non poteſt præſumi, quod pecunia accipiatur pro ingreſſu.

Eidem etiam explicationi adverſatur Innocentius III. dum ait: Simoniaca labes adeò pleraſque moniales infecit, ut vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes hujuſmodi vitium palliare. Paupertatis, inquit, pretextu, ut ſignificet habuiſſe intentionem ſuſtentationis ſeu alimoniorum, ſed quia falſus erat earum prætextus, dicit Simoniacâ labe fuiſſe infectas. *Cap. quoniā extra. de Simoniâ.*

Denique eadem explicatio videtur coincidere cum excuſatione veterum Simoniacorum, dicentium poſſe emi fundum, non autem conſecrationem: nam uterque ſtatus Clericalis & religioſus eſt ſpiritualis; ideòque nihil accipere licet pro ingreſſu Monaſterii, ſicut nec pro beneficio. Deinde uterque ſtatus habet bona annexa pro ſuſtentatione eorum, qui illos profitentur. Tum etiam per hoc acquirunt jus ad congruam ſuſtentationem, quæ ipſis debetur ex bonis Monaſterii ſufficientibus. *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3.*

Aliud eſt autē dum bona monaſterii non ſunt ſufficientia, quia novæ perſonæ ſic acceptandæ ſunt, ut earum ſuſtentatio non cedat ingravamē

aliarum, quæ jam habent jus acquiſitum; & ideò ſervandæ ſunt indemnes per aſſignationem congruæ ſuſtentationis pro ingreſſurâ: Dumque ita de communi conſenſu admiſſæ fuerint, jus habent ex communi maſsâ, tum bonorum Monaſterii, tum dotis ſuæ, quæ jam ſunt confuſa, vivendi; tanquam illæ quæ in ſocietatem bonorum admiſſæ ſunt.

Hinc apparet quàm periculosè fallantur aliquæ moniales, quæ ſicut ait Silveſter, de divitiis ſuperbientes, quantò ſunt ditiores volunt dotes majores: ita de ſtatu religionis, quaſi de ſtatu mundani ſponſi judicantes. Optandum ſanè eſſet quod novis legibus Eccleſia prohiberet, ne ditiora monaſteria dotes acciperent, ſicut olim Lycurgus apud Lacedæmonios lege caverat, ut abſque dote ullâ virgines elocarentur. De quo ipſe interrogatus reſpondit, ut neque propter inopiam ullæ relinquerentur innuptæ, neque ob divitias expeterentur. Quod multò magis in ſponſis Chriſti deligendis foret ſervandum.

V. Simonia q. 15.

Plutarch. in lacon. apoph.

§. 3. Cui

§. 3.

Cur liceat provocare pauperes per eleëmoſynas ut pro nobis orent, non autem liceat provocare Collatorem per munera ut beneficium nobis donet?

HÆc comparatio proponitur ab aliquibus, ex hiſce verbis S. Thomæ. Illi qui dant eleëmoſynas pauperibus, ut orationum ab ipſis ſuffragia impetrent, non eo tenore dant, quaſi intendentes orationes emere: ſed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant, ad hoc quod eis gratis & ex charitate orent. *2.2.q.100. art.3. ad 3.*

At verò illos ſummoperè falli apparet ex eo, quod dando eleëmoſynam liceat non ſolùm intendere, ſed etiam vocetenùs requirere, ut pauperes pro nobis orent: quis autem excuſaret illum, qui munera dando collatori ipſum compellaret, ut ſibi beneficium Eccleſiaſticum conferat? aut ſicut pauperes promittunt ſe oraturos, ſi eleëmoſyna ſibi tradatur: quis etiam admittat collatorem poſſe beneficium polliceri ei qui ſibi munus aliquod dediſſet, aut retributionem aliquam daturus eſſet?

Diſparitas igitur eſt, primò: quod ille qui

Digitized by Google

dat eleëmoſynam habeat pro fine principali & primario ſublevationem miſeriæ pauperis: qui autem munus aliquod offert, non alium ſibi proponit finem, quàm beneficium quod obtinere intendit. Porrò qui ſibi proponit per temporale acquirere ſpirituale, aut è contra, tanquam finem principaliter intentum, Simoniam committit, ſicut docet S. Thomas.

Supra cit. quodlib. 8.

Secundò, pauper tenetur orare pro eo à quo eleëmoſynam accipit, quia gratitudo poſtulat qualicumque benefactori ea referri, quæ non ſunt pretio æſtimabilia, ſicut ſupradictum eſt. Ideòque licet illum compellare tanquam ex debito benevolentiæ, ut oret: ſicut recompenſationem eorum quæ pecuniâ non menſurantur, juxta S. Thomam, licet pro mutuo exigere, puta benevolentiam & amorem ejus qui mutuavit, vel aliquid hujuſmodi. At verò ille qui munus accepit, non tenetur ei conferre beneficium qui munus dedit, tanquam ex debito benevolentiæ: ſed potiùs tanquam ex pacto tacito. Undè turpe apparet beneficium ex eâ causâ poſtulare.

2.2. q.78. art.2. corp.

Tertiò, qui ſecundariò tantùm intendit orationes pauperum per eleëmoſynam quam illis tribuit, non eas reſpicit tanquam eſſent pretio aliquo æſtimabiles, v.g. ratione cujuſdam temporalis lucri quod annexum haberent. Sed illas appetit, tanquam ſpirituale quoddam bonum ſibi ſpiritualiter proficuum: ille autem qui munus offert pro beneficio acquirendo (idem di-

cendum de eo qui beneficium dat intuitu retributionis) æſtimationem facit ipſius beneficii, tum ratione proventuum, tum ratione honoris adjuncti: & ideò munus ſuum ſic præparat, ut proportionem habeat cum illis, atque ita determinet voluntatem alterius ad beneficium ſibi conferendum. Dum autem illud obtinuit, de eo ſibi gratulatur tanquam de emolumento temporali; cùm alioqui ſpirituale officium parvipendat, nec appetat.

Hujuſmodi Simoniacorum mentem ſic luculenter repræſentat S. Ambroſius nomine ipſorum dicens: Melius volui aurum de macello minuere, quàm tantum Sacerdotium perdere: aurum dedi & Sacerdotium comparavi, quos tamen ſolidos, ſi vixero, recepturum me iterùm non diffido. *Lib. de dign. ſacerd. c. 5.*

Denique ſicut ille qui eleëmoſynam dedit, præcipuum habet intentum in ſublevatione miſeriæ pauperis; ſicut etiam non reſpicit orationes ejuſdem tanquam ſibi temporaliter utiles: ita nec ſerviliter illas exigit, ſed potiùs permittit bonæ fidei pauperis. Ille verò qui munus dedit pro beneficio, anxius ſemper anhelat, donec beneficium recipiat: aut ſi ſpe ſuâ fruſtratus fuerit, munus temporale illi æquivalens repetit.

His accedit quod preces ex naturâ ſuâ ſint laborioſæ, & quatenùs ille qui eas fuderit, prohibetur nè aliis operibus utilibus vacet, meretur ſtipendium aliquod & eleëmoſynale

tum, ſed ad gratiam largiuntur.

Cùm verò requiſitiones aut preces natæ ſint ejuſmodi favorem inducere, qui ſub pretio cadit, dicendum quod per illas Simonia committatur, ſiquidem ad ipſas principaliter attendatur.

Videtur autem ad illas principaliter intendere, inquit S. Thomas, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipſum factum eſt Simoniacum: quia videlicet jam nulla ſubeſt alia cauſa ad quam collator reſpexiſſe videatur, qualis eſt dignitas perſonæ. Sin autem preces pro digno porrigantur, ipſum factum non eſt Simoniacum (ſcilicet manifeſtè) quia ſubeſt debita cauſa, ex quâ illi pro quo preces porriguntur ſpirituale aliquid conferatur, tamen poteſt eſſe Simonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad favorem humanum. Ita S. Doctor. *2.2.q.100. art.5.ad 3.*

Unde admoneri poſſunt ſublimes perſonæ (quarum favorem captare aliorum plurimùm intereſt) ne facilè preces & commendationes ſive pro indignis ſive pro dignis proferant, quia authoritate ſuâ alios inducunt ad Simoniacam intentionem. Et ipſimet dum multùm inſtant, volunt ſibi quaſi principaliter deferri; atque ita juxta doctrinam S. Thomæ, etiam illi Simoniam committunt. Sanè huic negotio non ſe ingerat rogans, inquit S. Bernardus, conſilio non prece agendum eſt. Sunt, quæ neceſſaria à nobis rogantium aut extorquet *ſid.cap. 4.*

Digitized by Google

importunitas, aut neceſſitas meretur: at iſtud in his quæ noſtra ſunt. Ubi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? niſi fortè qui me rogat, hoc rogat, ut quod vult, hoc liceat mihi, ut non magis velim. Alius pro alio, alius fortè pro ſe rogat: pro quo rogatis ſit ſuſpectus, qui ipſe pro ſe rogat, jam judicatus eſt.

Verùmtamen ſi aliquis dignus agnoſcatur, cujus videlicet vita moresque imprimis commendabiles videantur, hunc equidem proponere licet: ita tamen ut ſi reſpuatur, ſibi nullatenus eſſe derogatum exiſtiment. E contra verò illi quibus tales proponuntur, eos tanquam à Deo datos acceptare debent, non tanquam ab hominibus commendatos.

Id olim magnus ille Bulgarorum Archiëpiſcopus Theophilactus docuit Scorpiorum quendam ducem, qui ſibi hominem ejusque merita commendarat, ut ad Epiſcopatum promoveretur. Operæ pretium videtur exemplar epiſtolæ ab ipſo ſcriptæ deſcribere, quæ ſic ſe habet: Nec tibi, Domine mi, in iſta fas eſt te ipſum ingerere, quæ magna ſunt & formidanda, neque nobis ita temerè divina gratiæ condonare. Qui enim per nos hactenus ad Epiſcopatum provecti ſunt, alii cum in Eccleſiâ miniſtrarent & pietatis gravitatisque teſtimonia haberent, Epiſcopatum indepti ſunt, ut Morobi & Priſdianorum: alii Conſtantinopoli dicendo & docendo clari, ut Caſtoriæ &

Epiſt. 13.

Belegardorum ; aut in Cœnobio Monaſticæ vitæ illuſtres cum eſſent, ut Triaditzæ, Pontificiam dignitatem obtinuerunt.

En quales promoveri ad beneficia oportet, cum proportione tamen, ut verè probatæ ſanctitatis & doctrinæ dicantur : nec niſi provectiores ætate & mundi opere admittendi, ne fortè ſemper eſſe deſinant, inquit Sanctus Gregorius, quod immaturè eſſe feſtinant. *Lib. 2. indic. 11. ep. 48.* Idque ſatis Apoſtolus declaravit, dum utrumque Epiſcopum & Diaconum irreprehenſibilem eſſe juſſit : ac etiam ſpecialiter de Diaconis ait, habentes myſterium fidei in conſcientiâ purâ, & hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent. *1. Tim. 8.*

Tum ſubdit Theophilactus, quod ſi talis eſt, quem Dominus meus commendat, non tu gratiam mihi habiturus es, ſed nos tibi. Sin autem nec Eccleſiæ noſtræ notus, nec Conſtantinopoli à vita & ſermone ſatis probatus, noli utique Deum fruſtrà offendere, nec nobis hoc imperare, qui Deo magis quàm hominibus obedire juſſi ſumus. Ita ille.

†
IHS
♥

§. 5.

Quâ ratione præſtare obſequia cum reſpectu ad beneficia Eccleſiaſtica ſit Simoniacum.

QUi primariò intendens ſalarium ſuis obſequiis & laboribus proportionatum alicui miniſtrat, ſi interim captet benevolentiam Domini ſui intuitu beneficii Eccleſiaſtici, quod ſperat ab ipſo accipere, non eſt Simoniacus. Quia ſic nihil præſtat temporale pretio dignum, quandoquidem obſequium ſolutione ſalarii extinguatur.

Secus autem dicendum eſt, Si quis obſequia famuli, cui ex juſtitiâ ſalarium debetur, intendat compenſare collatione beneficii; aut ſi quis gratuitum obſequium cuipiam præſtet intuitu beneficii Eccleſiaſtici, ſi tale obſequium ſit ad carnalia ordinatum, puta inquit S. Thomas, ſi ſervivit Prælato ad utilitatem conſanguineorum ſuorum, vel patrimonii ſui, vel ad aliquid hujuſmodi; erit enim munus ab obſeſequio, & eſt Simoniacum. Hæc S. Doctor. *2.2.q.100. art.5.ad 1.*

Idem quoque cenſendum eſt, ſi quis ultra id quod à famulis exigi ſolet, obſequium notabile eadem intentione præſtet, quia ſicut ait Seneca, *3. de Beneficiis*, quamdiu ſervus præſtat quod à ſervo exigi ſolet, miniſte- *Apud S.Thomam ibid.q.106.art.3.ad 4.*

rium eſt: ubi pluſquam quod ſervo neceſſe eſt, beneficium eſt. Ubi enim in affectum amici tranſit, incipit vocari beneficium, & ideò etiam ſervis ultra debitum facientibus gratiæ ſunt habendæ. Hinc eſt quod juxta veteres præſtare obſequium indebitum intuitu beneficii Eccleſiaſtici Simoniam contineat.

§. 6.

Quo modo conferre beneficia Eccleſiaſtica intuitu conſanguinitatis poſſit eſſe Simoniacum.

QUamquam religioſiores monſtrentur copulæ mentium quàm corporum, & corporali neceſſitati præſcriptorum cœleſtium forma præferatur: pietatis tamen quidam gradus eſt, ut quos conſanguinitatis communione nobis magis proximos voluit eſſe Deus, hos honoribus, gratiis, atque obſequiis, præ cæteris hominibus devinciremus. *S. Amb. in Lucam.*

Omnes utique homines æquè diligendi ſunt inquit S. Auguſtinus, ſed cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendum eſt; qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi, quaſi quâdam ſorte, junguntur. *Lib. 1. de doct. Chriſt.*

Unde apparet, quod quis laudabiliter conferre poſſit beneficia conſanguineis ſuis, qui

fuerint æqualiter digni, ſicut extranei: ſi videlicet ab ipſo conſideretur ordo charitatis, dictans quod cœteris paribus magis conjunctis potiùs ſit benefaciendum, & quatenùs ea propinquitas ſecundùm diverſa, in quibus homines communicant, diſtingui debet, de quo vide S. Thomam

2.2. q. 31. art. 3.

Verùm quoniam plerumque contingit, quod non ſecundùm directorium rationis ſuperioris, ſed potius ex carnali affectu, conſanguinei moveantur ad beneficia ſuis parentibus danda, admonendi ſunt, quod Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Dominus locutus eſt, ſicut ait S. Hieronymus, poterat utique ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem, ſed extraneus ab ipſo de alia tribu eligitur Jeſus: ut ſciremus principatum in populos (ſeu etiam Clericatum) non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ.

Ad cap. 1. ep. ad Titiũ.

Venialis porrò culpa erit, ſi hujuſmodi conſanguinitas carnaliter moveat, licet ille qui promovendus videtur digniſſimus exiſtat. Idque patet ex Hiſtoriâ Udalrici Epiſcopi Auguſtani, qui cùm Ottonem Imperatorem rogaſſet, ut filio ſororis ſuæ Adalberoni, viro alioqui commendabilis vitæ, procurationem Epiſcopatus ac ſucceſſionem concederet, ut liberius orationi vocaret: Ipſe proximè moriturus factum deteſtatus eſt, & quaſi è ſomno rediens dixit, hem.hem. quod nepotem meum

Berno Abbas in ejus vitâ apud Surium 4. Iulii.

Digitized by Google

Adalberonem unquam vidi, quia pro eo quod ei ſecundùm deſiderium conſentiebam, nolunt me impunitum in conſortium recipere.

Quamquam autem ille qui ejuſmodi affectu carnaliter movetur, ut parentibus ſuis beneficia Eccleſiaſtica conferat, per hoc præcisè non ſit Simoniacus, quia nihil temporale pretio æſtimabile in compenſationem accipit; poteſt nihilominus gerere animum aliquatenùs Simoniacum; dum videlicet eâ ratione familiæ ſuæ providere, eamque ditare intendit.

Ita expreſsè docet S. Thomas dicens: Quod ſi alicui gratis propter conſanguinitatem vel quamcumque carnalem affectionem conferatur beneficium, collatio etſi ſit illicita, non eſt tamen Simoniaca, quia ibi nihil accipitur. Eſſet autem manifeſta Simonia, ſi alicui beneficium daretur hoc pacto vel intentione, ut exinde ſuis conſanguineis provideatur, quia ſic ad ſui vel ſuorum temporale commodum datur. Ita ille. *2. 2 q. 100. art. 5. ad 2.*

Ex quo apparet quod Clerici deſperato morbo laborantes, dum ad providendum familiis ſuis, nepotibus (ſæpè etiam minus idoneis) beneficia reſignant, ne illa extra familiam dimittant, animæ propriæ jacturam facere non graventur. Eos utique non immeritò quiſpiam compararit minus conſultis illis, qui, ſicut ait S. Chryſoſtomus, cùm malè materiatam & ruinoſam viderint domum, ipſam reſtituere negligunt, amplos autem ei hortos *Hom. 36. in Matth.*

Digitized by Google

in circuitu præparant.

Epiſt. can. Væ profectò illis, qui ſicut ait S. Judas Apoſtolus, errore Balaam mercede effuſi, ſeu avaritiæ flammis ſuccenſi, ex malâ conſuetudine non diſpiciunt, quali ſe ſcelere jam jam rationem Deo reddituros irretiant. Quid enimverò aliud eſt, inquit Origenes, Pontificatum dirigere ad familiam ditandam, quàm rem tam ſacram, tamque divinam omninò prophanare, & ad ſæcularem uſum adhibere; ut fecit Balthaſar ille in convivio? quod quidem ſacrilegium magno luit, & regno exutus & vitâ. Ita ille. *Hom. 22. in numeros.*

Apud Barõ. ad an. 465. in ſynod. Rom. De hoc conqueritur Hilarus Papa, dicens: nova & inaudita in quibuſdam locis Hiſpaniarum perverſitatum ſemina ſubinde naſcuntur. Epiſcopatum (idem dic de quolibet beneficio) qui non niſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hæreditarium putant eſſe compendium: & credunt ſicut res caducas atque mortales, ita ſacerdotium velut legatario aut teſtamentario jure poſſe dimitti; nam plerique Sacerdotes mortis confinio conſtituti in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſubrogare.

Nunc verò inveteratâ conſuetudine, avaritiæ labes in hujuſmodi reſignationibus nõ amplius dignoſcitur: nimirùm parentum cura immoderata, eorundem fletus, ſollicitationes, ac querimoniæ eò promiſcuè adigũt Clericos, ut ſalutis propriæ immemores, ſuorum potius utilitatibus

conſulant. Sed utinam multò conſultius reclamantem & bene monentem Ambroſium audirent. Non enim propterea te Deo dicaſti, inquit, ut tuos divites facias, ſed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras. Putant ſe parum poſcere: Pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & ſe juſtè facere putant, & accuſant quod eos divites non feceris; cùm te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede. Ita de quodam moribundo ſcribit Ludolphus, quod conqueſtus fuerit in hæc verba: Medici mihi corpus, & animam amici abſtulerunt. Quapropter ſi quicquam in extremo vitæ diſcrimine ſapis, proximos quos in viâ Dei pateris adverſarios, odiendo & fugiendo neſcias: ubi enim neceſſitas venit, ut amor parentum amori Dei vel ſui comparetur, & non poſſit utrumque ſervari, odium in ſuos, pietas in Deum & in ſeipſum ſervanda eſt. Filios & parentes ſi adverſi ſunt alienatâ debemus mente contemnere, inquit Caſſiodorus, ſæpè enim quos flamma non terruit, quos ferrum non ſubdidit, neceſſitudinum blandimenta flexerunt.

Lib. 1. offic. cap. 30.

In vita Chriſti p. 2 cap. 68.

S. Gregorius

S. Hieron. in c. 10. Math.

in pſal. 118.

Hinc etiam apparet, quanto illi infœliciori exitu peccent, qui cum parentibus, utpotè miniſteriorum Eccleſiaſticorum incapacibus, beneficia relinquere non valeant, exteris hac ratione ea reſignant, ut conſanguineis pretium, remunerationis prætextu velatum, retribuatur. Nimirùm quâ viâ in Eccleſiam

prius temerè ingreſſi fuerant, eâdem tortuoſum avaritiæ tramitem ſemper ſectantes egredi nihil verentur. Ac, ſicut ait Petrus Damiani, cum Simone prius emerant, & cum Gieſi poſtmodùm chariſmatum dona vendunt

Lib de contemp. ſæculi cap. 30.

Itaque quemadmodùm qui gravitate capitis ebrietateque tenentur, inquit S. Chryſoſtomus, ſtultè ſimpliciterque feruntur, quamvis præcipitium & aliud quid ſimile ſubſit, infra concidunt incautè : ſic illi, veluti pravâ ebrietate, lucri deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt : non præſentia, non futura prævidentes. Eaque animadverſione jure merito punitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui vivens oblitus eſt Dei.

Hom. 1. de Pœnit.

S. Auguſt.

§. 7.

De penſionum abuſu, quibus Simonia etiam palliari ſolet.

CUm plerique non fidant opinionibus recentiorum de munerum ac retributionum gratificatione, ad aliud ſubterfugium convertuntur; ad pretextum videlicet penſionum, quas per modum cenſuum annuorum colligunt, aut pecuniariâ redemptione extingui permittunt. Ea propter è re noſtrâ videtur eſſe, hoc etiam artificii genus evolvere, ut inde pateſcat, nullum eſſe commercii modum, quo Simoniæ labes devitari queat, quando-

Digitized by Google

cumque cupiditate turpis lucri in beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione quiſpiam abducitur.

De hujuſmodi cavillationis ſimulatione ita loquitur Synodus Rothomagenſis: Reſignationes quorumcumque beneficiorum cum retentione fructuum vel penſione, quæ poſtea ab his qui reſignationes illas acceptaverint, præſertim pretio ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate redimitur, pro Simoniacis habendas eſſe judicamus. Præterquam enim quod mentalem ſaltem Simoniam, aut etiam pactum illicitum anteceſſiſſe frequentius deprehenditur, experientia docet, hoc unum eſſe velamen ad contegendam Simoniæ turpitudinem & malitiam. *Tit. de officiis Epiſc. n. 17.*

Eſt itaque penſio, delibatio quædam fructuum beneficii alteri quam beneficiario applicata. Si ſecundùm ſe conſideretur, apparet injuſta, quia ſicut ait Lud. Gomeſius Auditor Sacri Palatii, frangit æqualitatem juſtitiæ, quæ dictat præmia unicuique dari ſecundùm qualitatem laborum *c. Ius militare 1. diſt.* & qui altari non ſervit, inde præmium habere non mercatur. Penſionarii autem non laborant in Eccleſiâ neque ſeminant, & tamen metunt, & fructus ſine labore manducant, contra naturæ ordinem. Ita ille. *q. 15. ad reg. infirm. reſig.*

Cùm autem Summus Eccleſiæ Pontifex authoritatem à Deo acceperit de rebus Eccleſiæ diſponendi, videlicet in ædificationem non in

deſtructionem: ideò poteſtatem quidem habet ejuſmodi ſeparationes fructuum beneficii faciendi: ſed ut legitimè fiat, adeſſe debet ſpecialis ac juſta cauſa, propter quam meritò expedire videatur penſiones aliquibus concedi.

Talis eſt primò, utilitas Eccleſiæ publica, ob quam penſiones DD. Cardinalibus qui Pontifici in regimine aſſiſtunt attribuuntur. Ita S. Carolus Boromęus, Bellarminus, Bartholomæus de Martyribus; ſimileſque Prælati à vitæ integritate commendabiles, aliquas penſiones collegiſſe leguntur, ſed pro ſuo ſtatu modicas, non ad faſtum aut luxum, verùm potius ne indigerent.

Secundò, ſubventio Clerici qui ex ſenio confectus aut infirmitate fractus, oneri ſe imparem ſentiens beneficium alteri cedit. Æquum quippe eſt miniſtros Eccleſiæ, dum eidem amplius inſervire non valent, in egeſtate non derelinqui. Ideòque in ſupplicis reſignationum inſeri ſolet hæc clauſula: Subventionis causâ, & ne nimium patiatur diſpendium. Eadem eſt ratio de eo qui pinguius beneficium permutat cum tenuiori, ſiquidem tenuius non fuerit ſufficiens ad ſuſtentationem congruam, & permutans eâ intentione ducatur, quod velit melius Deo ſervire. Sicut etiam quod attinet ad ſupplementum honeſtæ alimoniæ Epiſcopi, parochi, aut alterius miniſtri publici Eccleſiæ utilis.

Tertiò,

Tertiò, pari ratione novo jure introductum eſt, quod ſi Clericus quiſpiam à nuptiis continens permanſerit, officium B. Virginis ſingulis diebus recitet, ac veſtem Clericalem geſtet (ſiquidem penſio excedat valorem ſexaginta ducatorum de camerâ) penſionem habere poſſit. Id verò indulſit Eccleſia, ut ii qui Clericali caractere inſigniti eſſent, ſtatumque Eccleſiaſticum vitâ & moribus honeſtarent, ac officia quædam recitarent; ſi non beneficia, ſaltem penſiones ex pinguioribus beneficiis colligerent, quibus ſuſtentarentur.

Ex cōſtit. Pii V. quæ incipit ex proximo, & Sixti V. quæ incipit cùm ſacroſanctam.

Porrò iſtiuſmodi penſiones, vel ſunt jura quædam purè temporalia, prout Rota ſæpè declaravit, ac plerique authores tradunt: vel ſpiritualis rei naturam induunt, quatenùs titulo Clericali conceduntur, ſicut etiam aliis pluribus placet.

Apud Cherub. in compend. bull. ſchol. ad cōſtit. 84. Sixti V.

Si primum dixeris, Simoniacum eſt de penſionibus quoquo modo paciſci pro beneficiis titulo reſignationis aut permutationis acquirendis. Non ſolùm quia omnis pactio in ſpiritualibus prohibita eſt, ſicut patet *ex cap. ult. extra. de pactis.* Sed etiam quia omnis permutatio de ſpiritualibus ad temporalia, tanquam Simoniacum in jure reprobatur: ait enim Urbanus III. Sunt quidam qui præbendæ ſuæ cedunt & juri renuntiant, ut majorem præbendam obtineant, vel ex hoc certam ſummam pecuniæ conſequantur, quod quidem honeſtati eſt contrarium, & Simoniacam procul-

Cap. exhibita extra. de rerũ permut & cap. quæſitũ ibid.

Digitized by Google

dubio continet pravitatem.

Ex quo etiam notandum eſt, quod ſola intentio lucri ex pinguiori prębendâ, aut cujuſcumq; commodi temporalis ad commutationem præbendæ, ſit Simoniaca. Ideò quippe permutationes aut ceſſiones beneficiorũ fieri prohibentur, quod avaritiæ aut dominationis ſive honoris causâ fieri pręſumantur; cùm ſi ad majorem Dei gloriam ſeu ad utilitatem Ecclesiæ referantur, authoritate Superioris accedente, eas omninò facere concedatur. Unde ſicut æquum eſt, ut ille qui beneficio ſuo cedit, permutando aut renunciando, hâc de causâ nullum inde detrimentum patiatur: ita Eccleſia indulgere poteſt, quod ipſe aliquam penſionem fructuum retineat, ſubventionis (uti dicitur) causâ, & ne nimium diſpendium patiatur. Ubi non agitur de lucro captando per compenſationem, ſed de damno vitando, cum ſub certo modo & onere permutatio aut ceſſio fieri dicatur.

Vide c. mutationes 7. q. 1. & ſeq. cap. quæſitum de rerũ permut. cap. cũ olim de renuntiat. & Bull. quàt a Eccleſia Dei Pii V.

Illud inſuper obſervandum eſt, quod ad hoc, quod permutationes beneficiorum æqualium abſque Simonia fiant, abeſſe debeat omnis pactio prævia, quia Urbanus III. expreſsè declarat, pactiones circa ſpiritualia, vel ſpiritualibus connexa, labem Simoniæ ſemper continere; quod equidem authores explicare ſolent, de præſumptione Simoniæ, quatenùs videlicet quiſpiam in iis non utilitatem publicam, ſed privata commoda ſpectare præſumitur. Ideòque Cardinales à Paulo III. ſelecti, in monitis pro

Cap. quæſitum cit.

apud author. diſſert. cit. de penſion.

reformatione dicunt, abuſus in permutationibus beneficiorum fieri cum pactionibus, quæ ſimoniacæ omnes ſunt, nulloque reſpectu habito, niſi lucri.

Undè apparet, quod etiamſi abeſſent ejuſmodi pactiones, & permutationes ſimpliciter fierent in formâ ordinariâ: ſi tamen intentio permutantium ad privata lucra ſectanda feratur, illa prorſus ſit ſimoniaca. Ita expreſsè S. Thomas docet. Ratio eſt, quia ſicut ait Urbanus II. qui res ſacras non ad hoc ad quod inſtitutæ ſunt, ſed ad propria lucra largitur vel adipiſcitur, Simoniacus eſt. *In 4. diſt. 25. q. 3. a. 3 ad 8. apud Gratian. 1. q. 3. cap. Salvator.*

Excipit nihilominus Malderus caſum, in quo quis, ut pinguius obtineat, cedit beneficio non ſufficienti ad congruam ſuſtentationẽ: quia hoc refertur ad decorem domus Dei, nè miniſtri ejus indigeant, juxta illud Malachiæ 3. Sit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc. Ita ille. *Tract. 9. in 2. 2. cap. 3. dub. 10.*

Si penſio titulo Clericali, & propter officium ſpirituale conceſſa, conſideretur tanquam res ſpiritualis, vel tanquam rei ſpirituali annexa: illam redimere eſt ſimoniacum, ſicut & illã emere, quia emere & redimere paria ſunt, & nomine emptionis venit etiam redemptio. Licet enim ille qui redimit, nihil ſpirituale acquirat, acquirit tamen illud ęquivalenter & virtualiter, quia titulus pẽſionis accipiendæ reſolvitur cum ipſo beneficio, ſicut & penſio confunditur cum fructibus beneficii: ideòque niſi Benefi- *Vide Navar. manual. cap 23 n. 111. Sylveſter v. Simonia, 1. Malder. cit. dub. 12. & alios.*

 ciarius

ciarius redimens penſionem, teneretur titulo ſui beneficii officium Eccleſiaſticum recitare, vi penſionis recuperatæ id facere deberet: tranſit enim res cum onere ſuo.

Confirmatur, quia ille cui redimitur penſio, liberatur ab onere officii, quod penſionarii pręſtare tenentur. Ergò illud vel in alterum transfertur, vel extinguitur. Si extinguatur (uti verè fit reſpectu penſionarii) ſivè penſio ſit purè temporalis, ſivè etiam ſpirituale munus complecti dicatur, injuſtitia ſaltem committitur ab eo, qui pretio illius rei, ſeu cenſus liberè, fruitur, quem obtinere non poterat, niſi ſubeundo munus injunctum.

Ab hujuſmodi autem officio Papa & Superiores, dum redemptioni conſentiunt, ipſum liberare non præſumuntur, quia poteſtas clavium, ſeu adminiſtratio Eccleſiæ illis conceſſa eſt, ad ædificationē, non ad deſtructionem. Atqui cederet in deſtructionem, ſi bona Eccleſiæ vel illorū pretium alicui concederent ſine causâ aut labore: qui enim non laborat, manducare non debet juxta Apoſtolum. Ergò ex eo ſolùm capite permittunt redemptionem penſionum, quod illæ ſint quodammodo odioſæ, quatenus ſunt miniſtris Eccleſiæ oneroſæ; & ideò earum extinctio eſt Eccleſiæ favorabilis.

Cœterùm, ille qui pretium accepit, jure naturę videtur teneri, ad illius reſtitutionem Eccleſiæ, vel pauperibus, aut aliter faciendam: vel ad ea munera perpetuò ſubeunda, ad quæ

Digitized by Google

tenebatur titulo penſionis, nimirùm ad continentiam & habitum Clericalem, itemque ad recitationem Officii B. Virginis.

Licet autem poſtrema hæc obligatio, recitandi officium B. Virginis, non ſit ubique recepta à penſionariis, debet tamen quod attinet ad forum exterius recipi, quia introducta eſt per conſtitutionem pontificiam, quæ ſicut rectè obſervat Malderus, juxta ſtylum Curiæ Romanę, vim habet conſuetudinem & obligationem inducendi. *Supra cit. dub. 12.* In foro verò conſcientiæ recipienda videtur, ſaltem in æquivalenti: quia una eſt ex cauſis propter quas penſio fuit cōceſſa, idque ex ipsâ mente concedentis; cùm alioquin iniquum foret, aliquem de bonis Eccleſiæ vivere, qui in eâ nihil laboraſſet, aut in præſenti laboraret: niſi fortè daretur in eleemoſynam, ſicut Clerico infirmo.

Hinc præcluditur via novæ ſimulationi, quæ palliandæ Simoniæ occaſionem dedit; cùm enim pecuniam tanquam motivum aut recompenſationem pro beneficio directè dare aut accipere plerique reformidarent; lucrum tamen obtinere conati ſunt, mediante penſione, quæ deinde pecuniâ redimeretur.

Itaque viros nummorum copiâ abundantes ſeligunt, eiſque ſub penſionis onere beneficia reſignant: ſed cùm illi nolint ejuſmodi ſervitutibus ac cenſibus gravari, & iſti pecuniam ſectentur; ideò juxta utriuſque partis votum pecunia incontinenti numeratur ad extinctionē

Digitized by Google

penſionis. Nihil profectò tam infauſtum in Eccleſiâ, quàm hujuſmodi ſimulatio, ut cum Cardinali Baronio loquar, cui ſi ſemel tribuatur aſſenſus, omnis Eccleſiaſtica diſciplina turbabitur. Additque propterea S. Petrum in Ananiam & Simonem Magum ſeverè animadvertiſſe. Tales utique vendentes ſunt, quos ab Eccleſiâ expellit Dominus, quia quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu-Chriſti; venale quippe habent totum, quia volunt redimi, inquit Auguſtinus.

Ad an. 34.

Quare nullâ ratione juvari aut excuſari poſſunt per diplomata pontificia, quæ nonniſi per inſigne mendacium ac perjurium obtinuêre: etenim in ſupplicis reſignationum, permutationumque, adhibito juramento in animam ſuam, ſolemniter proteſtantur, quod non intervenerit, nec intervenire ſperetur fraus, dolus, Simoniæ labes, aut aliqua illicita pactio, à jure reprobata.

Quæ autem obſecro major fraus, quàm ſimulare animum clericandi, defectumve alimoniorum, ut fructus laborum Eccleſiaſticorum, ſeu ſtipendia eorum qui tabernaculo Domini deſerviunt, expiſcari valeas? quis nequior dolus, quàm prætextu penſionum, quæ nonniſi ex legitimâ causâ concedi debent, pecuniam, quâ etiam ſine omni onere ac labore fruaris, quærere? quæ turpior Simoniæ labes, quam intentio lucri ex beneficio captandi? Omitto pactiones quæ de penſionibus, immò

iis mediantibus de pecuniâ, pro beneficiis acquirendâ, apertè fiunt. Prætermitto etiam corruptelas, quibus ii qui altari non ſerviunt, de altari vivunt: & bene ſi vivunt, ut non luxurientur; videlicet vel poſt nuptias, quas reſignatis beneficiis contrahunt, fruendo pecuniis per beneficiorum commercia comparatis, vel in ipſo ſtatu Eccleſiaſtico otiando, commeſſando, domeſticos ditando, &c.

Ivo Carnot. & Salisber. ſupracit.

Non igitur immeritò quiſquam ipſis dixerit, quod olim S. Bernardus, remorſas & remordentes conſcientias, Apoſtolicâ conati eſtis delinire ſententiâ. O frivolum ſatis remedium, quod non eſt aliud, niſi more protoplaſtorum, cauterialis conſcientiis texêre periſomata, non ad medicamentum, ſed ad velamentum. Apoſtolicam dicitis vos quæſiviſſe licentiam & impetraſſe; utinam licentiam non quæſiviſſetis, ſed conſilium; ideſt non ut liceret, ſed an liceret.

Epiſt. 7. ad Adam Monach.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

De Obligatione dimittendi, ſeu reſtituendi ea, quæ prætextu gratificationis munerum aut retributionum ſimoniacè accepta fuêre.

§. I.

Utrùm accepta per Simoniam de jure divino ſint dimittenda.

DUo hic conſideranda videntur: Primum, utrùm Simoniaci teneantur jure divino ad acquiſita per Simoniam dimittenda? alterum eſt, utrùm, ſuppoſito etiam quod ſolùm jure Eccleſiaſtico teneantur: iſtiuſmodi oblationes munerum ac retributionum prætenſivè gratuitæ, cadant ſub illius legis diſpoſitionem.

Quod attinet ad prius quæſitum, Authores utrimque plurimùm diviſi ſunt. Sed omnium *2.2.q.100. art.6. corp.* inſtar mihi eſt S. Thomas, qui ſententiam affirmativam, quoad dimiſſionem beneficiorum expreſsè tradit, probatque his verbis: Reſpondeo, dicendum quod nullus poteſt licitè reti-

nere id quod contra voluntatem Domini acquiſivit, putà ſi aliquis diſpenſator de rebus Domini ſui daret alicui, contra voluntatem & ordinationem Domini ſui, ille qui acciperet, licitè retinere non poſſet. Dominus autem, cujus Eccleſiarum Prælati ſunt diſpenſatores & miniſtri, ordinavit, ut ſpiritualia gratis darentur, ſecundùm illud Matth. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Et ideò qui muneris interventu, ſpiritualia quæcumque aſſequitur, eâ licitè retinere non poteſt. Hæc ille. *Nota.*

Et infrà: dicendum quod hoc quod aliquis privetur eo quod accepit, non ſolùm eſt pœna peccati; ſed etiam eſt effectus acquiſitionis injuſtæ, putà cùm aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non poteſt. Et ideò ſi aliquis ſcienter & propriâ ſponte ſimoniacè accipiat ordinem, vel Eccleſiaſticum beneficium, non ſolùm privatur eo quod accepit, ut ſcilicet careat executione ordinis, & beneficium reſignet cum fructibus inde perceptis: ſed etiam ulterius punitur, quia notatur infamiâ, & tenetur ad reſtituendos fructus, non ſolùm perceptos, ſed etiam eos qui percipi potuerunt à poſſeſſore diligenti. Quod tamen intelligendum eſt, de fructibus qui ſuperſunt, deductis expenſis factis causâ fructuum, exceptis fructibus illis, qui aliàs expenſi ſunt in utilitatem Eccleſiæ. *Ad tertium.*

Si verò nec volente, nec ſciente, per alios alicujus promotio ſimoniacè procuratur, caret

quidem ordinis executione, & tenetur reſignare beneficium, quod eſt conſecutus, cum fructibus extantibus. Non autem tenetur reſtituere fructus conſumptos, quia bonâ fide poſſedit: niſi fortè inimicus ejus frauduléter pecuniam daret pro alicujus promótione, vel niſi ipſe expreſsè contradixerit. Tunc enim non tenetur ad renuntiandum, niſi fortè poſtmodùm pacto conſenſerit, ſolvendo quod fuit promiſsũ.

Hæc ex S. Thomâ fuſiùs deſcripſi, tum quia video authores contrariæ ſententiæ nullam ipſius facere mentionem, tum quia iſta ejus verba breviter complectuntur modos obligationis dimittendi beneficium. In quo etiam illud obſervandum eſt, videri illum docere, Simoniacum ab executione ordinis, quem injuſtè acquiſivit jure divino eſſe ſuſpenſum, licet acquirat caracterem propter efficaciam Sacramenti, ſicut ait in reſp. ad 1.

Artic. 8. Confirmari autem poteſt ea ſententia ex verbis S. Petri, qui negat donum Dei pecuniâ poſſideri, & ideò dicit Simoni Mago, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. Ex quo colligi facilè poteſt, contractus Simoniacos eſſe divino jure invalidos; adeòque eum, cui hoc modo confertur benficium, nihil accipere. Præſertim ſi traditio univerſalis ab Apoſtolis in Eccleſiâ ſemper uſurpata ſpectetur, in quâ obſervamus Simoniacos paſſim fuiſſe depoſitos: nec conſtat de ullo canone, qui primus eam pœnam in ipſos ſtatuerit. Quod autem univerſa

tenet Eccleſia, nec Conciliis conſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolicâ divinâvè traditum, rectè creditur, inquit S. Auguſtinus. *Lib. 4. de bapt. cont. Donat. c. 24*

Porrò duplici ex capite allegari poteſt obligatio juris naturæ legiſque divinæ, beneficium ſimoniacè acceptum dimittendi. I. Quia materia quæ vendibilis non eſt, nec pretio menſurabilis, acquiri non poteſt per commutationem pretii. Sed talis eſt res quæcumque Spiritualis. Ergò per ejuſmodi commutationem acquiri non poteſt: & conſequenter injuſtè retinetur. Sic etiam quia res ſacra non eſt materia vendibilis, omnis contractus emptionis venditionis circa illam verſans, eſt impoſſibilis & nullus: ſed ex contractu qui per ſe nullus eſt, nihil acquiri poteſt, quia ille non præbet juſtum titulum ad acquirendum. Ergò qui rem ejuſmodi accepit, jure naturæ tenetur ad reſignationem ipſius. *Vide S. Thom 2. 2. q. 100. art. 1. corp.*

Propter hanc argumentationem, Leſſius admittit Sacramenta & ſimilia, quæ ſunt purè ſpiritualia, non poſſe vendi aut emi, & pretium pro iis datum eſſe reſtituendum. Quamquam antea dixiſſet, beneficia, quæ temporale commodum habent annexum, jure divino poſſe vendi; nec ex eo oriri obligationem reſtituendi pretium, aut beneficium dimittendi. Sed tantùm quia Eccleſia id prohibuit, contractuſque ejuſmodi irritavit; alioquin utrumque permittere potuiſſet, ſicut Reges permittunt *De Iuſt. & jure l. 2 c. 35. dub. 28. num. 162. Num. 160. & 161.*

Digitized by Google

officia publica vendi.

Hinc autem negat, injuſtitiam ab eo committi, qui offerendo beneficium exigit munus aliquod, veluti compenſationem pro emolumento, quod tibi, inquit, conferre non tenebatur: quod enim excluſis aliis te præferat, & ſuum affectum ad te determinet, magno pretio eſt æſtimabile: Undè ſæpè munera non parva offerri ſolent, ad affectum alterius alliciendum. Deindè privat ſe poteſtate alteri gratificandi, à quo fortè majorem benevolentiam & gratitudinem expectabat. Ita ille.

Art. 22. inter propoſ. ab ipſo dãnatas.

Verùm iſtam doctrinam reprobavit Alexander VII. hanc propoſitionem condemnando: Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Nec ſanè immeritò, quia imprimis iſtud commodum temporale eſt annexum rei ſpirituali, & ex eâ profluens, tanquam acceſſorium ex principali, ejuſque naturam, quæ invendibilis eſt, ſequitur, atque induit. Deindè ſicut mutuator injuſtè prætendit exigitvè uſuras, prætextu iſtiuſmodi commodi conſequentis; ita collator beneficii pretium, aut etiam præmium; quia utrobique fructus conſequentes ſunt induſtriales; & beneficium, ſicut pecunia, non niſi domino ſuo fructificat. De quo ſupra.

Digitized by Google

Alteram rationem, ex quâ redarguitur injuſtitiæ Simoniaca beneficii collatio, ita proponit S. Antoninus. Qui vendit rem, cujus dominus non eſt, tanquam ſuam, fur eſt & latro, quia contrectat rem alienam invito domino: & ille qui emit, ei cooperatur ad malum, cùm ſciat vel ſcire debeat, illum non eſſe dominum illius rei. Ergò & ille, qui de beneficio diſponit alio modo, quàm Dominus Deus ei conceſſerit, injuſtitiam committit: & iſte qui prudens ſciensque illam ab ipſo eo modo accipit. Quatenùs enim uterque rem alienam ſibi uſurpat invito domino, injuriam ipſi infert. Ergò iſte qui beneficium accepit, tenetur illud dimittere, ac liberæ Domini diſpoſitioni eandem reſtituere. *Part. 2. tit. 1. cap. 4. §. 2*

Hoc autem non eſt intelligendum de injuſtitiâ latè dictâ, quatenùs omnis peccator dicitur injuſtus per abuſum rerum temporalium, quorum Deus Dominus eſt: quia homines nihilominùs habent jus quoddam proprietatis ei ſubordinatum, ab ipſo Deo ſibi conceſſum. Sed de injuſtitiâ ſpeciali, quia nempè Deus retento ſibi omni dominio rerum ſpiritualium, ſolam diſpenſationem illarum commiſit hominibus. Diſpenſator verò cùm ſit tantùm inſtrumentum domini, nullum jus, nullamvè poteſtatem habet diſponendi de re ſibi commiſsâ, niſi juxta principalis voluntatem, à quâ dependet. Ergò qui rem illam aliter ab ipſo accipit, nihil acquirere poteſt tanquam jure ſibi collatum.

Præſertim cùm non ſolùm dans dederit contra Domini voluntatem, ſed etiam accipiens ſuſceperit quaſi furtivè, inquit S. Thomas, invito videlicet domino; ergò eam tenetur dimittere.

Supra cit. in reſp. ad 1.

Eodem modo dicendum, quod ille qui recipit pretium rei ſpiritualis, jure naturæ tenetur ipſum reſtituere, quia, ſicut ait S. Thomas, injuſtè detinet. Vel enim ille qui rem ſpiritualem emit, intendit validè contrahere, quaſi implicatâ conditione, non do validè pecuniam, niſi validè des beneficium; utpotè inſcius invaliditatis, quæ eſt vel ex jure divino, vel poſitivo, aut ex modo pretium dandi, qui ex errore non videtur eſſe Simoniacus. Et tunc qui retinet, peccat contra juſtitiam commutativam: quia videlicet non impletâ conditione ex ſuâ parte, alter noluit ipſi dare. Vel licet ſit conſcius invaliditatis contractus, vult tamen abſolutè dare; & hoc etiam modo pretium injuſtè retinetur: quia cùm alter mallet gratis accipere, & hic gratis dare deberet, voluntarium dicitur extortum per injuriam. Ergò ad reſtituendum æqualitatem juſtitiæ, oportet reddere pretium, ſicut patet ex contractu uſurario, ex quo uſura data juſtè repetitur, quia venalis eſſe non debuit: qui autem pro iniquo judicio dedit, inquit S. Augustinus (idem dic de beneficio) vellet quidem repetere, niſi timeret vel puderet emiſſe.

Ibid.

Epiſt. 54. ad Macedon.

Dices cum Maldero, licet ille qui beneficium

in 2. 2 tr. 9. c. 3. dub. 19.

pecuniâ emit, mallet illud gratis habere, ſicut & ille qui emit equum: liberè tamen in emptionem, adeòque in juſtum titulum, quo alter pretium poſſideat, conſentit. In uſurâ autem, mutuatarius non conſentit in aliquem titulum juſtum: ſed omnis ibi titulus deeſt: nam titulus donationis, qui ſolus prætendi poteſt, eo ipſo vitiatur, quod donatio tali modo facta ſit coacta, & injectâ civili obligatione, quæ ut nullo titulo nixa titulum præbeat, omninò debebat eſſe libera.

Reſpondeo imprimis, diſparitatem eſſe inter emptionem equi & beneficii, quia venditor equi non tenebatur illum dare gratis, ſicut ille qui beneficium vendidit. Ergò ex hoc capite injuſtitiam committit, quod aliquid vendat, & pretium ejus accipiat, quod gratis dare debebat. Deindè emptio rei ſpiritualis eſt nulla; utpotè de re quæ non eſt vendibilis, ſed per ſimilitudinem tantùm emptio dicitur, ſicut homo pictus appellatur homo. Sicut enim pecuniam, quæ mutuò datur, quis vendere aut emere non poteſt, quia cùm ipſa ſit de ſe immenſurabilis, eſt pretium & menſura rerum emptarum: ita res ſpiritualis, quæ eſt alterius generis, & ex naturâ ſuâ impretiabilis, non poteſt re quâvis temporali commenſurari, ut per illam emi dicatur. Ideòque qui pecuniam ad illius compenſationem dare intendit, re ipſâ non conſentit in emptionem, ſed nec in alium juſtum acquirendi titulum, quia donatio,

Digitized by Google

quæ ſola ſupereſt, ſicut in mutuo vitiatur per coactionem, ita & hic.

Neque his obſtat, quod ſicut temporalia quædam, quæ ſunt pretio inæſtimabilia, qualia ſunt vita, fama, &c. poſſunt in æſtimationem hominum venire, ita etiam ſpiritualia: ac proindè ſicut contingit, illa ab hominibus pretio taxari, ut verè emi dicantur, ita etiam ſpiritualia. Reſpondetur enim, res quaſdam diverſi generis quoad ſe incommenſurabiles, ratione tamen commercii humani quodammodo commenſurari, ſicut aurum & argentum, quæ ſunt diverſi generis, & quoad ſpeciem ſuam incommenſurabilia, ſunt nihilominus commenſurabilia per uſum commerciorum. At verò ſunt alia, quæ ita commenſurari nullo modo poſſunt, veluti ſpiritualia cum temporalibus, quæ nullâ æſtimatione morali proportionem invicem habere poſſunt.

Dices ſaltem commenſurari poterunt pecunia & beneficium ratione temporalis proventus, qui eſt annexus iſti beneficio. Reſpondeo, quod ſicut pecunia mutuata (quæ de ſe non eſt per aliam menſurabilis) non poteſt commenſurari per lucrum à mutuatario faciendum, ut indè quiſpiam uſuram colligat, quia nimirùm cùm de ſe nullum fructum faciat, ſub eâ ratione non eſt pretio æſtimabilis: & quatenus in manus mutuatarii tranſit, ſi quid per ipſius induſtriam fructificat, fructus ad dominum pertinet. Ita beneficium Eccleſiaſticum per

Digitized by Google

per ſe nullum facit fructum temporalem (quia eſt purum jus Deo miniſtrandi in Eccleſiâ) vi cujus, etiam per abuſionem, in æſtimationem rerum temporalium venire poſſit. Dum autem collatio ejus alicui facta eſt, tum demùm fructum affert, quatenùs beneficiarius miniſtrat, & exinde ſtipendium meretur. Sed tnuc nihil iſtius fructus in collatorem derivari poteſt, qui nec beneficium habet, nec in Eccleſiâ miniſtrat: omnis quippe res fructificat Domino ſuo.

His addi poteſt, quod ille qui beneficium vendidit, nihil utile in alterum tranſtulerit, quia quod ſimoniacè acquiritur, de jure non ſubſiſtit in Dominio ejus qui accepit: ergo pro nihilo reputatur. Qui autem nihil dedit, & accepit ex eâ causâ, quaſi aliquid dediſſet, retinere non poteſt illud quod accepit: ergo tenetur reſtituere.

Quod ſi talis qualis poſſeſſio beneficii per Simoniam acquiſita cuipiam pretio digna videatur: admitti ſaltem debet, perexiguam eſſe ipſius utilitatem; quatenùs videlicet eſt obnoxia reſtitutioni fructuum: ergo qui tantùm ferè pro eâ emungit, quantùm ſi omni vitio careret, non poteſt illud retinere; juxta communem regulam, per quam excedens juſtum communis æſtimationis pretium, reſtituere debet exceſſum.

Sic etiam qui pro beneficio accepit, pretium, gratis illud conferre debebat, ſicut ille

Digitized by Google

qui uſuras colligit gratis mutuare debuit: ergo ex quo pretium accepit, pro eo quod gratis facere debebat, reſtitutioni eſt obnoxius. Unde apparet differentia cum eo qui maleficium fecit, & aliquid propterea accepit: is enim nec gratis facere, nec omninò facere debebat.

Nihil itaque refert, quod alter turpiter, & injuſtè pretium dederit, quod non contingit in eo qui uſuras ſolvit, quia illius turpitudo ſeu injuſtitia, qui emit quod gratis accipere debebat, non excuſat nec minuit injuſtitiam illius, qui gratis non dedit. Ergo ſicut ſi non fuiſſet injuſtum emere, fuiſſet tamen injuſtum vendere; ita etiam dum ſimul injuſtum fuerit emere, injuſtè venditur.

2. 2. q. 62. art. 4. ad 2. Ille qui ſimoniacè aliquid dedit, inquit S. Thomas, meretur amittere quod dedit: unde non debet ei reſtitutio fieri de his. Sed etiam quia ille qui accepit, contra legem accepit, non debet ſibi retinere, ſed debet in pios uſus convertere. *Ibid. q. 32. art. 7. corp.* Et alibi: alio verò modo eſt aliquid illicitè acquiſitum, quia quidem ille qui acquiſivit retinere non poteſt: nec tamen debetur ei à quo acquiſivit, quia ſcilicet contra juſtitiam dedit, ſicut contingit in Simoniâ, in quâ dans & accipiens, contra juſtitiam legis divinæ agit. Unde non debet fieri reſtitutio ei qui dedit, ſed debet in eleëmoſynas erogari. Hæc ille. In quibus ſatis declarat, accepta per Simoniam jure naturæ eſſe reſtituenda. Cui

Digitized by Google

etiam planè conſentire videtur Alexander III. dum ait, ea ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſe. *Cap. de hoc de Simoniâ.*

Verùmtamen difficulter aſſignari videtur ratio, cur non ſint reſtituenda ei qui dedit. S. equidem Thomas jam dixit, quod mereatur rem illam amittere, eò quod turpiter dederit: quaſi ex æquitate quadam naturali in pœnam per leges illâ privetur. Sed inſuper addi poteſt, quod cum uterque ſibi quodammodo legem in ipsâ injuſtitiâ præfixiſſet, de non repetendo ultrò citròque injuſto modo datum; ratio interpretetur haberi pro derelicto: & quaſi non reperiatur principalis Dominus, vel datur pauperibus, tanquam eleëmoſyna ex ſuperfluo: vel quia in Dei injuriam datum fuit, reſtitui etiam poteſt in alios uſus pios: acceptum enim ut alteri fiat injuria, applicatur ei contra quem datum eſt: & ſpecialiter datum per Simoniam, applicatur Eccleſiæ, quæ paſſa eſt injuriam. *Abbas in c. cum pleriq. de immunit. Eccleſ.* *Iuxta cap. cum tu. de uſuris.* *L. generaliter §. illud ff. de calum.* *Cap. de hoc cit.*

Hæc autem maximè vera eſſe apparet, ſi ille cui beneficium collatum fuit, ipſi non cedat: ſicut enim, ſi ille qui rem apud alium depoſitam ab ipſo emit, illam non reſtituat Domino, depoſitarius qui illam vendidit, tenetur pretium reddere Domino: ita ille qui pretium beneficii accepit, Deo, qui verus eſt beneficii Dominus, & in cujus injuriam venditum fuit, debet pretium acceptum reddere. Prout in ſimili aſſeruit S. Auguſtinus dicens, *Ep. 54 cit.*

ſtionis non procedit ex jure divino, ſed ſolùm Eccleſiaſtico, quod de mentali delicto diſponere non poteſt.

Reſpondeo quod Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi ſtatuerat, moniales, monachos & alios regulares, qui pretextu paupertatis, ſimoniacè monaſteria ingreſſi fuerunt; ejiciendos eſſe. Ne tamen damnabiliter in ſæculo vagarentur, poſſe in eiſdem monaſteriis diſpenſativè recipi. Hac autem de causâ quiſpiam mandatum aliquod obtinuerat à Gregorio IX. ut ſecundùm diſpoſitionem ejus Concilii, cum quibusdam monachis diſpenſaret: ita quippe ait in eo cap. mandato noſtro recepto, ut cum monachis qui per Simoniam dato aliquo, locum in monaſteriis ſunt adepti, ſecundùm conſtitutionem generalis Concilii diſpenſares. *Refertur in cap. quoniã de Simoniâ.*

Verùm cum nihil in eo de Abbatibus, qui eos ſimoniacè receperant diceretur: quæſitum eſt, num etiam cum iis vi mandati accepti diſpenſare poſſet. Reſpondet Pontifex conſult. Tuæ breviter reſpondentes, dicimus, mandatum Apoſtolicum etiam ad Abbates extendi, & reſignationes ſpiritualium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente utrimque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit, per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori) eos pro Simoniâ hujuſmodi non teneri.

Unde ſatis apparet, quod Pontifex, ſicut

Digitized by Google

per mandatum ſuum indulſerat, ne monachi ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellerentur, ne in locum arctioris regulæ retruderentur, ne perpetuam pœnitentiam agere cogerentur, quæ erant pœnæ in Concilio *ſupracit.* iis impoſitæ: ita etiam idem indulget Abbatibus, qui eos animo Simoniaco receperant; ne videlicet pœnis iſtiuſmodi Canonicis ſubjicerentur, aut etiam fortè, ne pecuniam acceptam reſtituerent. Ergo ante talem diſpenſationem ad illa tenebantur partim jure divino, partim jure humano: ut quid enim opus fuiſſet diſpenſatione? ergo talis Simonia vel non erat mentalis, (& conſequenter non eſt ad rem, & eſt contra mentem eorum qui textum objiciunt,) vel ex Simoniâ mentali per ſe loquendo tenebantur ad reſtitutionem pecuniæ; & ad egrediendum è Monaſterio. Ita ferè reſpondet Silvius. Eſtius verò paulò aliter ait, Pontificem declarare pœnas Canonicas non afficere eos, qui ex animi affectu Simoniam committunt. Sed dum addit, debere per pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, ſignificat injuſtè acquiſita eſſe reſtituenda: Medina, Sotus, & alii, alias afferunt reſponſiones, ſed hæ videntur ſufficere.

in 2. 2. q. 100 art. 6. quæſit. 1.

In 4. diſt. 25. §. 18.

Digitized by Google

§. 2.

Quæ prætextu munerum aut retributionum accepta fuerunt ſimoniacè, ex diſpoſitione etiam juris Eccleſiaſtici ſunt dimittenda.

ALtera quæſtio quæ ſupereſt diſcutienda, eſt, ſuppoſito quod de jure tantùm Eccleſiaſtico Simoniaci tenerentur improbè acquiſita dimittere; num illi qui prætextu munerum vel ad movendum vel ad retribuendum datorum, ea acquiſierunt, ex diſpoſitione iſtius juris eadem dimittere teneantur? ſeu utrum commiſerint Simoniam purè mentalem, de quâ lex Eccleſiaſtica nihil diſponit: an verò realem, quæ ipſius diſpoſitioni ſubjicitur, dum Simoniacos ad dimiſſionem acquiſitorum per Simoniam adigit.

Pro hujus difficultatis intellectu, diſtinguendus eſt animus purè Simoniacus, ab actu Simoniaco. Ille eſt voluntas dandi vel accipiendi aliquid pro ſpirituali non gratuitò, ſed in quoddam pretium vel intereſſe formaliter vel æquivalenter temporale; cùm alioquin aliâ de causâ temporale dari jus permittat: v. g. Sacerdos ignarus accipit pecuniam tanquam pretium ſacrificii, cùm accipere poſſit & debe-

Vide Navar. manual. cap. 23. n. 100.

ret ratione ſuſtentationis tantummodò: Canonicus accipit diſtributiones tanquam pretium officii Eccleſiaſtici, cùm ſolvantur per modum ſtipendii: Monialis dat pecuniam pro ingreſſu Religionis, cùm tantùm per modum dotis, pro ſuſtentamento dare deberet, &c.

Hujuſmodi animus per circumſtantiam juſtæ cauſæ, ex quâ dari poteſt pecunia, ſic occultatur, ut diſcerni nullatenus poſſit: ideòque per eum ex unâ tantùm parte Simonia plerumque committi ſolet: nec niſi per accidens eſt, quod utrinque in eandem intentionem concurratur. Ac propterea qui per Simoniam mentalem accipit ab eo qui malè dat, inquit
Ibid.n.103. Navarrus, benè ſuſcipit ob ignorantiam malæ intentionis: illius verò actio qui perverſo animo dedit, ſuſtinetur propter debitam cauſam quæ ſubeſt, licet ejus conſcientia gravetur, propter mentem depravatam quam habuit; ideòque non tenetur ad reſtitutionem ejus quod accepit, quia re ipsâ non accepit, quod accipere non debuit, ſed tantummodò reprehenſibilis eſt, quia id quod de jure accipere potuit, non accepit eo animo, quo debuit.

Actus Simoniacus dicitur, dum ultrò citròque convenitur, vel per pactum expreſſum, quod ſignis & nutibus externis manifeſtatur: vel per tacitum, quod ex circumſtantiis colligitur præſumiturvè: de quibus abundè ſupradictum eſt ex Alexandro III. Sicut enim Ec-

Digitized by Google

cleſia ex illis præſumit, munera, retributio-neſvè, data fuiſſe ſimoniacè; ita etiam per illas quiſque demonſtrat, quid intendat, quidvè ab alio requirat: & ille qui ipſi condeſcendit, ſatis oſtendit, quid intelligat, & quomodò in illius voluntatem conſentiat: in quo manifeſtum eſt, pactum ſeu mutuam voluntatum conventionem intervenire.

Ita auctores paſſim tradunt, inter quos Malderus cum diviſiſſet Simoniam, in mentalem, conventionalem & realem, ſubdit: ſed cui membro erit annumeranda, ſi abſque formali pacto reverà pro temporali pretio detur beneficium, & re ipsâ accipiatur pecunia tanquam pretium. Exiſtimo omninò realem eſſe Simoniam, & virtuale pactum hic ſufficere: quam doctrinam luculentè tradit Cajetanus hoc verbo. *In 2.2.tract. 9. cap. 3. dub. 3.*

Navarrus etiam cùm dixiſſet, conventionem Simoniacam fieri tacitè ſine verbis vel nutibus, ſed factis tantùm: ponit exemplum, ut quod quidam magnas fecit dicendo Regi pręcipienti, ut ſucceſſor cujuſdam Epiſcopi mortui ſolveret viginti millia ſcutorum, quæ illi debebat: ſi placet Majeſtati ſuæ, ego ſolvam illa omnia ex legitimâ parte, quæ debetur ex bonis maternis filio meo, qui erat dignus Epiſcopatu, nihilo expreſſo de Epiſcopatus præſentatione, pro quâ tacitè promittebat: nam ſi Rex nihil aliàs reſpondendo præſentaſſet illum ejus filium, & magnas ſolviſſet illud debitum; cenſenda fuiſſet *In Manual. c.23.n.105*

ſet Simonia realis : quippè quæ eſſet tacitè conventa, & ab utrâque parte completa. Ita ille : hiſque ſimilia habent alii.

Cœterùm ſivè ex jure divino, ſivè Eccleſiaſtico procedat ea obligatio, S. Gregorius expreſsè dicit, eum qui per munera obtinuit beneficium Eccleſiaſticum, non poſſe illud retinere. *Apud Grat. 1.q.1.cap.ſi quis.* Si quis, inquit, fraudulento munuſculo Sacerdotalem dignitatem acceperit, & in vitâ ſuâ non ſpontè reliquerit, eumque inſperata mors pœnitentem non invenerit, proculdubio in æternum peribit. Eidem conſonat S. Raymundus, *In ſummulâ* dus, dum ita canit.

Si tu, aut Pater & Mater vel amicus munera dent, te
Etiam, non procurante, dum noveris hæc data pro te,
Amplius Eccleſiæ tali deſiſte præeſſe,
Totum reſtitue, Simonis quod adeptus es arte.

PERORATIO PARÆNETICA AD CLERICOS.

CUM ſub honeſtâ larvâ Simonis hæreſis pluribus etiamnùm modis exerceatur, famoſum illud facinus, licet honeſto vocabulo veletur, omni modo vitandum eſt & averſandum; adeòque magis etiam, quàm id quod apertè ſcelus ipſum præ ſe fert: Latentia nimirùm ulcera difficilius ſanari ſolent, & abſurda facinora, quibus ineſt ſubdola quædam nequitia, longè ſe facilius in vulgus inſinuant, quàm quæ manifeſta ſunt. *Harmenopulus ſchol. 2. ad Can. Calced. & Taraſii ep. ad Adrianũ apud Lupũ in ſchol. Cõcil.*

Eapropter, omnis aditus munerum retributionumve gratificationibus eſt præcludendus, nulla illis feneſtra pateſaciẽda: illæ etenim oblationes ac remunerationes, uti cum avaritiæ morbo irrepſerunt, ita non minùs quàm Simonia, ſiquidem non etiam magis, ad condem- *Ex eod. ibid.*

Digitized by Google

nationem Clericos, qui horum participes facti deprehenduntur, pertrahunt.

Ex S. Greg. 10. moral. cap. 24. Iſta eſt utique hujus mundi ſapientia, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hæc ſibi obſequentibus præcipit, honorum culmina quærere, munera pro acquirendis offerre, retributiones pro collatis expetere, pro acceptis rependere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate, aut humani commodi lucro gaudere.

Eam verò tradunt nonnulli Doctores pecuniis & adulationibus Sacerdotum propinantes, inquit S. Iſidorus Peluſiota, quos mille ſuppliciis dignos eſſe conſtat. Nec ſanè immeritò: ommino enim proditorem ſe eſſe noverit, ait S.Bernardus, quicumque ille eſt, qui vitia quælibet in hanc domum (Eccleſiam) conatur inducere, & templum Dei ſpeluncam vult facere latronum & dæmoniorum. Latro eſt, & domum Dei convertit in ſpeluncam latronum, inquit S. Hieronymus, qui lucra de religione ſectatur, cultusque ejus non tam cultus Dei, quàm negotiationis negotiatio.

Lib. 5. epiſt. 296.

In quodam ſerm.

Lib. 4. in Matth.

S. Greg. cit. Interim juſtorum plebisque ſimplicitas deridetur, quia & à mundi ſapientibus puritas virtutis fatuitas creditur: quid namque ſtultius videtur mundo, quàm mentem verbis oſtendere, nihil machinatione callidâ ſimulare: Dicere apertè, quid vultis mihi dare, & ego beneficium vobis tradam: quin potiùs illud fideli

credere Mecænati, ac retributiones ab eo gratitudinis gratiâ expetere vel expectare: quin etiam, non pretia beneficiorum offerre, ſed munera ad movendum, ſeu ad inducendum donare.

Profectò hæc dicentibus erubeſcenda eſſent ſi à facientibus præſumpta non fuiſſent: ſed neſcit aliquando impudentia erubeſcere, niſi fuerit manifeſtè confuſa: nunc ergò ſuſtineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere diſciplinam. *Hugo de S. Victor. de diſc. monach*

Erubeſce Sidon ait mare, & tu Clerice quid ſentis? cùm Laïcus ferè legis ignarus ambitionem tuam arguit & compeſcit? Obſtupeſce Propheta, cùm aſina ſeſſorem ſuum revocat, & tuos convincit errores. Brutum animal, homo ſtupidus, Angelum videt tenentem gladium, ideſt ſpiritum, qui latet in litterâ: & tu cœcus in tanto lumine Scripturarum inſanus ruis in mortem. Erubeſce ergò, obſtupeſce, ſubſiſte, & à maledictione, ad quam avaritiâ ſtimulante feſtinas, recede: & qui contemnis Moïſem & Prophetas, vel âſinam quam ambitionis tuæ calcaribus urges, audi. Miraculo ſiquidem opus eſt: Balaam enim non corripitur, niſi aſina loquatur. Nonne erubeſcis, quod te ſic excœcavit, ſic peſſumdedit ſuiipſius ignara ambitio, ut propheticis & divinis oraculis ruditum aſinæ præferas. Terreris fortè & contremiſcis ad vocem aſinæ, ſed nequaquam compungeris: hoc enim divini Verbi munus *Salesburien. lib. 7. polycr. cap. 13.*

eſt, & donum illius qui ſolus in mentibus electorum ignem charitatis accendit. Undè liquet quoniam inutiliter aſinam audit, quicumque Verbi Dei contemnit vocem. Audi tamen & aſinam utilia ſuadentem, quia & in eâ ad eruditionem tui eruditur ſpiritus. Prævidet Angelum cohibentem illicitos greſſus tuos, & eum oſtendit tibi; quâ viâ ad honores Eccleſiaſticos aſcendendum ſit, Canones docent: contemnis tamen, quia in viâ mandatorum Dei non vides Angelum tenentem gladium, ut occidat te. Eâdem incedit aſina, homo tui collatione ſtolidus & tardus, & qui verbi & exempli tui calcaribus urgendus eſt ut faciat legem, videt Angelum, timet, ſubſiſtit, & conſilium Dei tibi enuntiat, loquitur in caſu iſto, munera tua & retributiones, Simoniam, ejuſque Matrem avaritiam & ambitionem ait: tu miraculum venerare, & ſingula verba ejus repone, & exſculpe in tabulis cordis tui.

Petr. Dam. opuſc. 6. cap. 37.

Sin autem portentosâ hac admonitione nihil commoveris, ſic dignum erit jam, ut cum illo duce tuo, Hæreſiarchâ videlicet Balaam, participium ſortiaris: & quibus non ſuffecerat paradiſus gratis à Chriſto promiſſus, ſufficiat infernus à Diabolo pecuniâ comparatus.

Raulin. ſerm de divite.

Verùm quoniam obturâtis auribus nihil eſſet vox unius clamantis, Dominus ad aperiendum cor ejus totum ferè corpus Cleri ulceribus operuit, ut tot eſſent ora clamantia, quot ulcera exiſtentia. Tantùm inquam virus

hæc opinio de munerum ac retributionum gratificatione in Eccleſiam ſparſit, ut ex pixide illâ Pandoræ à Poëtis decantatâ, nòn plus malorum inter homines & calamitatum exiliiſſe videatur.

Ecce nunc torpent ingenia deſidioſę juventutis, nec in unius honeſtæ rei labore vigilatur, quia nihil ſibi in honoribus Eccleſiaſticis gravitas, nihil deffendit induſtria, ſed totum auri prophanus amor obtinet: cùmque nulla ſit de actu probatio, nulla de vitâ ac moribus diſcuſſio, ſola ambitio poſſidet omnium virtutum præmia. *Sen. in Rhet.* *S. Greg. lib. 7. ep. 114.* *S. Auguſt.*

Jam nummus honores ſingulos tanquam mediator excurrit, eoſque ad metalli pondera ponderatos largitur: undè & divites puros eſſe Clericos erubeſcunt, & ſeſe viles æſtimant & inquilinos, niſi quocumque eminentiori loco fuerint ſublimati. Avari autem in acceptione turpis lucri avidi, pretium dignitatum Eccleſiaſticarum ſuis marſupiis includere feſtinant. *Ep. S. Bern.*

Hinc viſuntur hodie homines de bonis Domini incraſſati, dilatati, qui Domino honorem nullum deferunt: de altari vivunt, & altari non ſerviunt, de fructuum perceptione ſolliciti ſunt, & in officio miniſtrare detrectant; cùmque cæteri hominum duris laboribus inſtruantur, ipſi per otia torpentia infatuantur. *Caſſian. lib. 10. de ſpir. aced.*

Quænam obſecro nunc eſt forma vitæ Clericalis? incedunt Clerici prophanis veſtiti

laicorum indumentis: Capillitium in humeros protenſâ ſæcularium more comâ diffluit: totâ die inanibus negotiis implicantur, in oratione verò coram Domino etiam unius horæ momento laſſantur: in tabernis & conviviis frequenter commeſſantur, ibi in verbis procaces, actibus diſſoluti, in luſibus aſſidui, in expenſis profuſi, Eccleſiæ bona in ſuperfluitatis ac diſſolutionum uſus inutiliter diſperdunt.

S. Gregor. moral.

Hinc junguntur beneficia beneficiis, penſiones coacervantur præbendis, reditus multiplicantur, fructus avidè colliguntur: & qui propria aliis dare debuerant, aliena diripiunt. Quippe jam ruſticitatis & miſeriæ eſt, velle quantùm ſatis eſt. Mendicat interim infœlix Clericus à Deo ſacris miniſteriis deſtinatus, & qui ſublimem locum promeretur, ab omni Clericatus officio ſuſpenſus, propriis ſtipendiis militare cogitur. Sed exulta ô Chriſtiane, in commercio inimicorum tuorum viciſti: quod Judas vendidit, & quod Judæus emit, tu acquiſiviſti, gratiam videlicet Spiritus ſancti.

Seneca

Rabanus.

O peſtis maligna avaritiæ ſemper bonis animis deteſtanda, quid illæſum, quid inconcuſſum dimittis? Tu genus hominum confudiſti, tu diſcipulum comitem Chriſti ab Apoſtolatu præcipitaſti, tu milites cuſtodientes ſepulchrum captivaſti, tu pulcherrimam Chriſti ſponſam innumeris plagis fœdè deformaſti. Nec illi ſpes ulla recuperandi decoris ſanitatiſque ſupereſt, donec illi qui diligunt munera ſectantur

Raulin. ad finē Matth.

Digitized by Google

ſectantur retributiones procul ab ejus finibus expellantur. Non enim prius Chriſtus cæcos & claudos curavit, inquit benè Rupertus, quam illos lacrocinantes de ſpeluncâ ejecit, quia videlicet non vitia curari, nec virtutes poſſunt illuſtrari, niſi prius Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipſi Sacerdotes cum illo Deo ſuo, de templo Dei fuerint ejecti. Niſi menſas nummulariorum ſubvertiſſet, cathedrasque columbas vendentium, ait S. Hieronymus, cæci & claudi lucem priſtinam & concitum gradum in templo non meruiſſent recipere.

In cap. 21. Ioſue.

Radix omnium bonorum eſt charitas, ait S. Auguſtinus, & radix omnium malorum eſt cupiditas: & ſimul ambæ eſſe non poſſunt, quia niſi una radicitus evulſa non fuerit, alia plantari non poteſt: ſine causâ aliquis conatur ramos incidere, ſi radicem non contendit evellere.

Hom. 7. in Ioannem.

Sophiſtarum certè hic mos fuit, atque ſubdola fallacia, ut quò altius virtutũ præconia extollerent; eò callidius per varias hallucinationes ipſarum prę̨cepta eluderent. De quibus ſic ſcribit Philo Judæus: Solent plerique omnes Sophiſtæ adverſarias habere ſuaſmet ipſorum facultates, dum verba eorum cogitationibus, & conſilia verbis reſiſtunt, haud ullo conſenſu intercedente. Deliniunt enim noſtras aures diſſerendo quàm ſpecialis res ſit juſtitia, quantùm omnibus conſerat temperantia, quan-

Lib. de eo quod deterius potiori inſidiari ſoleat.

toperè probetur fortitudo, quàm ingens capiatur ex pietate utilitas, quàm ſalubres virtutes cœteræ: è contra injuſtitiam eſſe rem impacatam, intemperantiam morbiferam, impietatem nefariam, reliquam malitiam pernicioſam; & tamen contraria dictis ſuis ſapere non deſinunt. Sed poſt decantatas laudes prudentiæ, temperantiæ, juſtitiæ, pietatisque, tum maximè decipiunt, laſciviunt, injuſtè impièque ſe gerunt: & ut verbo dicam, deprehenduntur omne fas jusque confundere ac ſubvertere. Quos meritò verbis, quibus ad Cain Deus utitur, appellet quiſpiam: quid feciſtis? quid vobis ipſis profuiſtis? quam utilitatem anima veſtra percepit ex tot iſtis de virtute ſermonibus? quid in veſtrâ vitâ magnum paruumve correxiſtis? an non potiùs veras criminationes contra vos ipſos protuliſtis, qui probando bona, & verbis philoſophando, interpretes quidem fuiſtis facundiſſimi, & tamen convincimini turpiſſimè tum ſapere, tum vivere. Hæc ille.

Ita multi nunc Simoniacam pravitatem plenis buccis increpant, pretia rerum ſpiritualium deteſtantur, pacta & contractus pluribus modis condẽnant: interim verò munera ad movendum vel retribuendum permittunt gratitudinis prætextu: ſed quod velis ei nomen imponas (ut cum S. Ambroſio loquar) Simonia eſt. *l. de David.*

Quapropter non immeritò quiſpiam exclamarit cum Emanuele Malaxo, ô indulgen- *Apud Lupũ to. 3. ſchol. in cõcil. pag. 883.*

tiam pœnis dignam? malæ arboris diſcuſſerunt folia & ramos exciderunt, atque ipſam adeò arborem, ſed radicem reliquerunt: quod dico, hoc eſt, nundinationem quidem Simoniacam ordinationum amputarunt, ſed radicem nempè munus quod initio dabatur reliquerunt, ut ſcilicet ne deeſſet cauſa rurſus germinandi & creſcendi punitionis apud inferos arbori.......... Væ væ illis non patitur ſe irrideri Deus. Ita ille ſcriptor Græcus.

Evellatur igitur à corde noſtro radicitus avaritia, inquit Petrus Damiani, concurrentibus ſcilicet omnium ſcripturarum teſtimoniis evidentiſſimè condemnata, & cum Achar filio Charmi *Ioſ. 7.* quaſi tot Patrum ſententiis, tot lapidibus obruta. Non accipiendis muneribus delectemur, ne in occulti cenſoris examine à ſacerdotali, quod abſit, dejiciamur ordine, ſicut filii Samuëlis ob hoc judicialis amiſere culminis dignitatem. *lib. 1. ep. 20.*

Id ſanè præſagiunt continuatæ vaſtationum bellicarum tribulationes; poſt monitiones venitur jam ad verbera, nec uſque ad exterminium ceſſatura videtur divinæ juſtitiæ vindicta, niſi gratuita Spiritus ſancti dona humana eſſe emolumenta exiſtimare deſierimus, eaque quæ nobis uſurpatione damnabili vendicamus, pœnitentiâ ducti, reſtituerimus. Væ, inquit Propheta, qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? cùm conſummaveris deprædationem, depræ- *Iſaia 33.*

Digitized by Google

daberis; cum fatigatus deſieris contemnere, contemneris.

In Chronic. Goth. apud Baron. ad an. 465.

Hac ipsâ de causâ, teſte S. Iſidoro, tremendo Dei judicio Hiſpaniæ Gothis datæ ſunt devaſtandæ; ut planè, inquit, qui ſecundùm illud propheticum dixerant, Venite hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei: increpationem ejuſdem Prophetæ ultricem ſenſerint, mox ſubdentis: Deus meus pone illos ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti, ſicut ignis qui comburit ſylvam, & ſicut flamma comburens montes; ita perſequeris illos in tempeſtate, &c.

In vitis Rom Põtif. ad an. 844.

Sic etiam Luitprandus de vaſtatione Saracenorum factâ tempore Sergii Papæ teſtatur, dicens: Vigebat iſtius Pontificis tempore Simoniaca hæreſis, nec erat aliquis virorum Eccleſiaſticorum, qui zelo Dei ductus ageret, ut hoc nefas prohiberetur: Et quia nemo erat Chriſtianorum per quem hoc malum corrigeretur, miſit divina potentia flagellum Paganorum ad ulciſcenda peccata Chriſtianorum: nam ſupervenientes Saraceni, innumeros hominum interfecerunt, &c.

lib. de Sacra. ord. apud Morinum.

Similiter Græci ſub gravi nunc Mahometanorum jugo gementes, duram ſervitutem ſuam iſti peccato adſcribunt, è quibus unum Simeonem Archiepiſcopum Theſſalonicenſem audiamus: Afflictiones & contuſiones noſtræ multæ factæ ſunt, & præ omnibus gentibus, contemptibiles & minimi facti ſumus, & dum

Digitized by Google

violentè feſtinamus ea quæ non decet attingere, nobis alienigenæ dominantur; dumque facimus quæ Deo diſplicent, inimici noſtri Deique conſequenter nobis inſultant; & quæ nobis ſacra ſunt poſſident: ideòque conſecratis potiuntur. Eheu exiſtimantes lucrum aliquod facere, propria noſtra perdidimus.

Quinimmò S. Hieronymus ait, non eſſe ambigendum Hieroſolymam propter rerum ſacrarum quęſtum ſubverſam fuiſſe: juxta illud Micheæ: Judices ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede reſpondebant, & Prophetæ ejus in pecuniâ divinabant .... Idcircò Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi cuſtodia pomerii erit. *Citat S. Antonin. part. 2. tit. 1. c. 4.*

Denique Rupertus animadvertens ad hoc Prophetæ & S. Hieronymi teſtimonium dicit, Simoniæ vitium futurum cauſam ultimæ perſecutionis Antichriſti. Cùm hæc dicit Propheta, inquit, profectò ſcire nobis & dicere licet, quia cauſa futuræ tribulationis tam magnæ, peccatum eſt maximè graduum Eccleſiaſticorum, peccatum venalitatis & avaritiæ, quod nunc aſpicimus, & ubique regnare videmus, ambitione nimiâ cuncta devaſtante avaritiâ, pœnè univerſa repoſita intùs in Eccleſiis devorante, ubi quia licet vivere, libet etiam ambire: Undè tunc meritò fiet, ut quia non licebit vivere, etiam non libebit ambire; multò amplius, multò miſerabilius, quàm tempore perſecutionis Neronianæ ſivè Diocletianæ, qui- *Lib. 6. in Apocalypſ.*

Digitized by Google

bus vigentibus, nimirùm gradus Eccleſiaſticos nec emere delectabat, nec vendere vacabat.

Ivo Carnot. ep. ad Hildebert.

Conſule igitur ô Clerice, ſecundùm teſtimonium conſcientiæ tuæ, ut ſi fortè prophani alicujus muneris oblatio, aut retributionis gratificatio gradum tibi in Eccleſiam ſtraverit, ab incautè cœptis ſpontè ipſe deficias: jucundus enim debet eſſe defectus, in quo ſalutis ſperatur effectus. Utrumque cogita, quàm multa temerè pro pecuniâ, quàm multa laborioſè pro honore tentaveris: quantùm ad ſucceſſum acceſſeris, tantò accedet & metus.

Seneca in epiſt.

Ecce enim nulli amplius excuſationum prætextus audiuntur, nulla te ſimulatio callida tuebitur. Intuere magiſtrum, inquit S. Bernardus, non parat aures ut audiat, ſed flagellum quo feriat; verba nec facit, nec recipit, nec enim ſedet judicans, ſed inſequitur puniens: cauſam tamen non tacet, ſcilicet quod domum orationis, domum negotiationis feceris. Dicit utique Apoſtolus, vos eſtis templum Dei: Non ſit ergò in domo pectoris tui negotiatio, inquit Hilarius, non donorum cupiditas, nè ingrediatur Jesus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum ſuum, niſi flagello adhibito, ut de ſpeluncâ latronum domum faciat orationis.

Lib. de cõſid.

S. Amb. l. 2. de Patriarc. Abrahã c. 4.

Quod ſi voluntas tua vel ægra per culpam, vel invalida per infirmitatem, non potuerit ferre ac perpeti virtutis preſentiam, dimi-

ſerit eam, atque ſe relegarit, ne patiatur eam volvi in ſe, & adhærere cogitationibus ſuis: & ut infirmiores oculi lucem refugiunt, ita mens invalida ſapientiæ fulgorem non ſuſtineat; dicatque, tolle te hinc cum tuis conſiliis, cum tuâ admonitione: citò tolle, citò recurre, moras tuas non fero, afflictiones ſunt mihi (ita nimirùm etiam in ſinu Sacerdotum ambitio & avaritia dormit, in ſecreto thalami, & fraudulenter ſe occultat, nec à ſopore ſuo excitari patienter ſuſtinet.) Diſcute obſecro conſcientiam tuam, & prudenter examina, quâ quiete, quo refrigerio potitus es, poſtquam te procelloſo huic negotio tanquã ſcylleæ voraginis fluctibus immerſiſti: juſto quippe Dei judicio agitur, ut quiſquis regimen Eccleſiæ nundinatus aggreditur, quietis vel opulentiæ commodum quod ſperaverat, de ſuo commercio non lucretur: ſed ſedens in cathedrâ peſtilentiæ fabriles ſemper malleos verſat, ut immundæ prælationis rivus per ſordida connexa decurrens, undè funeſtus oboritur, ſuo ſemper fonti reſpondeat.

S Cyp. ſerm. de jejun. & tentat.

Petrus Damian. lib. 1. epiſt. 20.

Perpende inſuper, quod avaritia latentium indagatrix lucrorum manifeſtæ prædæ avidiſſima vorago, neque habendi fructu fœlix, & cupiditate habendi ſit miſerrima. Intellige ſapienter, quod omnes cupidi, omnes avari Giezi lepram cum divitiis ſuis poſſideant, & malè quæſitâ mercede non tam patrimonium facultatum, quàm theſaurum criminum con-

Valer. Maxim. lib. 9.

S. Ambr. lib. 4 ad cap. 4. Luc.

Digitized by Google

gregarint, æterno ſupplicio & brevi fructu.

O Utinam ſaperes & intelligeres ac noviſsima provideres, inquit S. Bernardus, ſaperes quæ Dei ſunt, intelligeres quæ mundi ſunt, provideres quæ inferni ſunt: profectò inferna horreres, ſuperna appeteres, quæ ad manus ſunt contemneres. Temporalibus nunc commodis privaris, ut ad æterna reſpicias: malè parta à te auferuntur, ut ſupplicia inferni, quę commerciis tuis, muneribus inquam & retributionibus nefariè nundinatus es, effugere valeas. Flagellum utique externum inquit S. Auguſtinus, glorificat Creatorem, compellit nolentem, erudit ignorantem, cuſtodit virtutem, excitat torpentem, ſtimulat ſuperbientem, purgat pœnitentem, à futuris ſuppliciis eripit. Pœna autem præſens ſi injuſti animum à deſideriis pravis non mutat, à ſuppliciis æternis non liberat: ſolos pœna temporalis ab illo ſupplicio liberat, quos in melius mutat: quem enim præſentes pœnæ non corrigunt, ad æternas perducunt.

In Epiſt.

S. Gregor.

Quam ob rem amputemus occaſionem turpium nundinationum, quibus etiam exiſtimatio noſtra læditur, & infirmis offendiculum ponitur; oſtendamusque hominibus, non nos in otio facilem victum, ſed per anguſtam viam regnum Dei quærere. Non ſequamur ſapientiam carnis, apud quam utilitas pecuniariæ iſtius commoditatis pluris habetur: ſed ſapientiam quæ ex Deo eſt, apud quam ea quæ in

S. Auguſt. lib. de oper. monach.

S. Amb. l 3. offic. cap. 2.

hoc ſæculo magna æſtimantur pro detrimento habentur.

Bonis ſanè artibus & ſincero propoſito nitendum ad honorem arbitror, inquit S. Ambroſius, & maximè Eccleſiaſticum: ad omnia abundat animi directa ſimplicitas, ſatisque ſeipſa commendat. Omnis autem Eccleſiaſtica cenſio generaliter condemnat omnem turpis lucri appetentiam, brevique ſermonis compendio excludit levitatem ac verſutiam. *Lib.2. offic. cap. 24.* *Idem lib.3. offic. cap.16*

Beatus igitur ille, qui cùm audierit Pſalmiſtã dicentem, in quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus: dicere cum eodem poterit, Ego autem in innocentiâ meâ ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei: pes meus ſtetit in directo, in Eccleſiis benedicam te Domine. *Pſalm. 25.*

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A.

Aaron.

Aronis electio per virgam florentem manifeſta fuit, pag. 305.

Abraham.

Cur Abraham noluit accipere munera à Bara Rege Sodomorum. 223. *Abrahæ crimen futurum fuiſſe negat S. Bernardus, ſi non immolaſſet filium ſuum,* 62. *Quomodò Abraham dicitur per munera emiſſe ſepulturam ab Ephron, gratis illam offerente.* 260.

Acceptio perſonarum.

Quâ divites præferuntur pauperibus melioribus grave peccatum. 184.

Achan.

Quomodo Achan turbavit Iſraëlem, ita Simoniaci turbant Eccleſiam. 27.

Admonitiones.

Infirmis ſunt oneroſæ. 374.

Æſtimatio.

Rei ſpiritualis per temporalem efficit Simoniam ex genere ſuo malam. 271.

Affectus

Locupletius retribuit beneficium, quàm quodcumque munus, 242. *Affectus major reddit beneficium majus,* 289. *Homo non facilè dignoſcit affectus ſuos* 295. *Ex affectu carnali moveri ad dandum beneficium Eccleſiaſticum non eſt Simoniacum.* 331.

Digitized by Google

Alcamenes

Cur oblata munera recuſavit? 182.

Ambitus.

Macula probroſa etiam in his qui bonis moribus ſunt præditi, 34. *Ambitioni potius quàm virtuti ſacerdotia præparantur,* 187. *Ambitioſis quò plus indulgetur, eò amplius nova expetunt.* 93.

Amicitia.

Quænam ſit vera & falſa? 299. *Amicitia ſuper virtutem fundatur,* 240. *Amicitiæ lex eſt ut non rogemus res turpes, neque rogati faciamus,* 285. *Amicitia ſæpe ſimulatione colitur,* 238. *Amicitia non eſt, quod utilitatis propriæ causâ datur,* 240. *Amicitia nomen quæſtuoſum evadit.* 255.

Amicus.

Amandus eſt deſperatis emolumentis, 244. & 283. *Quidam amicos tanquam pecudes amant* 240. & 244. *Amici nomen frequens ad fallendum via,* 254. *Amicus Deo quomodo quis efficitur,* 301. *non ſunt amici ſponſæ qui eam addexterare videntur.* 38.

Amor.

Amor mutuus quomodo moveat ad benefaciendum vel retribuendum? 293. *Amor Dei quid dictet faciẽdum eſſe in beneficiis Eccleſiaſticis conferendis.* 300.

Animus.

Quid intendat animus benevolus, & quò reſpiciat Simoniacus, 288. & ſeq. *non habet animum grati hominis qui feſtinat reddere, ſed debitoris,* 291. *Animus grati hominis motu proprio rependit, etiam amplius quàm accepit,* 294. *Quid interſit inter animum & actum Simoniacum* 359. *ille occultatur per circumſtantiam juſtæ cauſæ, hic proditur per circumſtantias actionis.* 360.

S. Anſelmus.

Maluit exulare quàm retributiones dare pro Archiëpiſcopatu. 225.

Antichriſtus.

Inſurget ad vindicandam Simoniæ iniquitatem. 373.

Digitized by Google

Antoninus Epheſinus.

De ſeptem capitalibus criminibus accuſatus, propter Simoniam præcipuè depoſitus fuit. 16.

Apollo Pythius

Oraculo edidit omnem opulentam rempublicam avaritiâ perituram. 213.

Appretiatio.

Appretiant rem ſpiritualem qui pro illâ munera & retributiones offerunt. 272.

Araneæ.

Aranearum dolus exprimit malignitatem hominum doloſorum. 161.

Arialdus Mediolanenſis.

Crudele ejus martyrium quod paſſus eſt ab ſimoniacis. 74.

Artes.

Bonis artibus enitendum ad honorem Eccleſiaſticũ. 377.

Avari

Theſaurum criminum ſibi congregant. 21.

Avaritia

Radix Simoniæ, 10. *Avaritia turpiſſimum malum, eaque eſt quæ Simoniam fœditate ſuâ coinquinat,* 212. *Avaritia Simoniaca eſt vermis & bruchus peſſimus,* 28. *Avaritia Prophetam vertit in magum,* 213. *ſi avaritia auferatur, omnia mala amputabuntur, & ſacerdotes ut palma florebunt,* 215. *Avaritiæ peſtis omnia confundit in Eccleſiâ,* 368. *Vitia curari nec virtutes illuſtrari poſſunt, niſi avaritia è cordibus Sacerdotum, aut Sacerdotes avari ab Eccleſiâ ejecti fuerint,* 369. *In collatione beneficiorum avaritia radicitus evellenda,* 371. *Avaritia nec habendi fructu fœlix, & cupiditate habendi miſerrima.* 375.

Aurum.

Auri prophanus amor totum obtinet in Eccleſiâ. 190.

Digitized by Google

B.

Balaam

Balaam Simoniacus dicitur, quod pro uſu poteſtatis divinitus ſibi conceſſa, munera acceperit. 2.

Barba

Probroſum eſt apud Orientales radere barbam 50. *Illorum aliqui putant ſancitum eſſe ab Apoſtolis ne raderetur* 51. *Gregorius VII. coëgit Epiſcopum quendam Calaritanum illam radere,* ibid.

Bellum.

Simonia eſt cauſa bellorum. 371.

Beneficentia, Benefacere.

Beneficentia quid ſit? 238. *Ex beneficentia qualis naſcatur obligatio;* 290. *Benefacientis voluntas æſtimatur beneficium, non ipſius donum,* 239. *In benefaciendo inſpiciendum quod ſine nota & rubore valeat denudari,* 266. *Beneficus non vult ſibi rependi æquale.* 243.

Beneficium.

Beneficium accipit qui digno dedit, 259. *Beneficium eſt quod quis dat, cum illi liceret non dare,* 266. *Beneficia olim appellabantur poſſeſſiones militibus data, ut animoſiores eſſent ad tuendam rempubl.* 143.

Beneficium Eccleſiaſticum.

Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo, 80. *Communis definitio beneficii Eccleſiaſtici utrum illi propriè cõveniat,* 243. & 150. *Beneficium datur per modum ſtipendii, non mercedis,* 142. & 150. *Beneficia conferre aſſeclis ſuis non autem ſanctis & doctis grave peccatum,* 301. *Beneficio privatus eſt ipſo facto, qui per munera aut retributiones illud acquiſivit.* 362.

Beneficiorum pluralitas.

Plura beneficia cur uni non ſint concedenda; 82. & ſeq. *Pluralitas beneficiorum jure naturali & Eccleſiaſtico prohibita,* 84. & 89. *Qualiter malum ſit habere plura beneficia,* 87. *Simoniaci aliàs moverunt quæſtionem de pluralitate beneficiorum,* 84. *Beneficiorũ pluralitas*

Digitized by Google

Bigamia reputata, & ſecundum beneficium concubina, 98. *Cujus valoris debeat eſſe beneficium, ut alterum licitè obtineri non poſſit,* 95. & ſeq. *Qualis cauſa requiratur pro diſpenſatione ad plura beneficia,* 90. *Synodus ſeptima maluit Clericos adigere ad laborandũ quam plura beneficia permittere.* 91.

S. Bernardus.

Indignatio ipſius contra eos qui diligunt munera ſectanturque retributiones. 180.

Bona Eccleſiaſtica.

Prima origo bonorum Eccleſiaſticorum, 76. *quomodo creverint,* 77. *Bona Eccleſiæ olim in quatuor partes diviſa* 79. *quodnam ſit jus pauperum ad illa,* 78. & 81. *Bona Domini ſola nunc videntur omnibus expoſita.* 32.

C.

Cæſar.

Vt irriſit Syllam qui magiſtratum largitionibus ſibi compararat. 38.

Caiphas.

Vnius anni Pontificatum emit 5. *Simonia appellatur Caiphæ traditio.* 108.

Calphurnia fæmina.

Impudenter apud prætorem interpellans non dedit cauſam finalem edicto, ſed occaſionem tantùm. 287.

Cancer.

Qualis morbus, 23. *Simonia cancroſum malũ,* ibid.

Canones.

Eccleſiaſtici generaliter condemnant lucri appetentiam & ſimulationem in rebus ſpiritualibus. 377.

Canonici

Dicuntur aſſiſii propter continuam reſidentiam, 196. *Concilium Tridentinum dicit compellendos eſſe ad officiũ divinum per ſe ipſos canendum,* 198. *Canonici præbendas colligere debent, non per modum mercedis, ſed pro ſuſtentatione tantùm,* 310. *Canonicus qui per diſtributiones determinatur ſimpliciter ad eundum ad Eccleſiam, eſt Simoniacus.* 311.

Digitized by Google

Caput.

Si per raſionem totum decalvetur, ſignum fuit ſubjectionis & pœnitentiæ, 52. *Sicut capite vitiato totum corpus patitur, ita nugax eſt populus eorum quos pecunia ad ſacerdotium provexerunt.* 39.

Charitas.

Eſt actio rectitudinis tendens in Deum, 301.

Choriſtæ.

Sicut non cenſentur aſſidui niſi ſingulis adſint officiis, ita nec Canonici, 198. *ſæpè ſyncopando tranſcurrunt officium divinum.* 199.

Clerici.

Dicuntur quaſi ſorte electi 186. & 300. *ad quid ex hominibus aſſumuntur,* 35. & ſeq. *Clericatu quis dignus ſit judicandus,* 301. *multi uno quaſi die finguntur digni,* 188. *Clericorum duplex ordo,* 197. *multi pereunt propter nimium erga parentelam affectum.* 331.

Collator Beneficii Eccleſiaſtici.

Comparatur eleëmoſynario Principis, 265. *declarat tantum diuinam electionem,* 300. *prius reddat ſe bonum, & quærat alium ſimilem ſibi,* 299. *non ſufficit illi ſola opinio de idoneitate promovendi.* 306.

Columba.

Beneficium Eccleſiaſticum dicitur columba, quæ non eſt venalis, 277. *qui manus impoſitionem vendunt ſingulariter venditores columbarum appellantur.* 147.

Coma.

Ignominia eſt viro ſi comam nutriat 50. *Galli eam demittere ſolent, non item alii,* ibid. *Clerici qui comam demittunt, ſcandalum dant populo.* 55.

Commodum

Cujuſcumque commodi intuitu dare beneficia Eccleſiaſtica Simoniacum eſt. 236.

Complices.

Admittuntur ad accuſationem Simoniæ. 116.

Compoſitio amicabilis.

Debet eſſe cum gratuitâ alterius partis remiſſione. 101.

Conſanguinei

Cæteris paribus aliis præferri poſſunt ad beneficia 329.
affectus conſanguinitatis carnaliter movens etiam reſpectu digniſſimi culpabilis eſt. 330.

Conſuetudo.

Abrogat legem accedente conniventiâ ſuperiorum, 62. *non excuſat veſtes laicales in Clericis*, 68. *peccata conſuetudine firmata apparent honeſta,* 133. *prætextus conſuetudinis ad excuſandum Simoniam*, ibid. *non præjudicat juri naturali, quo Simonia prohibetur,* 134. *Simoniaci non obſtante conſuetudine depoſiti.* 135.

Contractus.

Contractuum omnes ſpecies ad quatuor actus reciprocos reducuntur. 245.

Cor.

Cor durum quid ſit. 129.

Cornelius Aſinius.

Corneliæ genti cur nomen aſinæ impoſitum. 171.

Criminoſi.

Omnes criminoſi ad accuſandum vel teſtificandum de Simonia admittuntur. 119.

Cupiditas.

Pervertit judicium 182. *radicitus evelli debet, ut charitas locum inveniat.* 369.

D.

Dæmon.

Q*Vomodo iniquitatem palliet virtutis imagine,* 160. & ſeq. *proponit alicui lucrum ut fraudē faciat* 254.

Debitum amicitiæ.

Ad quid & quando obliget. 293.

Democritus Philoſophus.

Quomodo ſubſannavit eum qui munera profundendo vili tamen recompenſationi intendebat. 255.

Deus.

Deum tantò quis amplius diligit, quantò minus diligit

proximum 301. *Dei voluntatem qui noſſe vult, fiat illi amicus.* ibid.

Dignus.

Qui confert beneficium digno, non illi gratificatur, 258. *Dignus quomodò benè remuneretur,* ibid. *Dignus eſt decipi, qui de recipiendo cogitavit cùm daret.* 260.

Diogenes.

Dicebat Dionyſium tyrannum uti amicis, prout vaſculis. 298.

Diſpenſatio.

Diſpenſationis cauſa referenda eſt ad utilitatẽ publicam, 95. *Nihil pro diſpenſationibus exigere licet,* 315. *Diſpenſatus ad plura beneficia non ideò tutus eſt in conſciẽtiâ.* 93.

Diſtinctio.

Per diſtinctionem inter officium & jus percipiendi fructus ſimonia palliata fuit, 139. *Ejus inefficacia declarata à Pontificibus.* 140.

Dives.

Gratus non eſt etiam remunerando, 258. *Dives qui promovendo divitem defraudat pauperem non erit impunitus,* 185. *Divites præferuntur paſſim pauperibus melioribus,* 184. & 297. *Divites inquilinos ſe putant in Eccleſiâ, niſi eminẽtiora loca obtinuerint,* 367. *Nulla affluentiâ divitiarum ſatiatur qui animo ſimoniaco Eccleſiam ingreſſus eſt.* 75.

Doctores.

Qui plus exquirunt quàm capiant, uſque ad perverſa dogmata erumpunt, 162. *Fraudibus vanorum Doctorum ſæpè illuſum eſt decretis contra ſimoniam,* 131. *qui etiam ſuos errores gloriabantur eſſe ſententiam Canonicam.* 132.

Donum.

Dicitur, quod gratuitò ſine ſpe remunerationis datur. 289. *Doni purè gratuiti acceptio non continet ſimoniam,* 293. *Furtiva dona offerentes velut in furti crimine deprehendi perhorreſcunt.* 232.

Dotes.

Quatenus exigi poſſunt à monialibus, 317. & ſeq.

Digitized by Google

E.

Eccleſia.

PRærogativa Eccleſiæ ſupra Synagogam in miniſtrorum delectu, 181. Eccleſia inſanabilē plagam accipit ab iis, qui per quæſtum beneficia diſpenſant vel obtinent, 203. 205. Preſſuram Eccleſiæ non ſentit qui in eâ non proficit. 204.

Eleëmoſyna.

Prætextus eleëmoſynæ inſufficiens ad excuſandam ſimoniam, 136. Eleëmoſyna facta à ſimoniaco eſt fruges quæ manu leproſâ ſeritur, ſed illi nihil patrocinatur, 138. Cur liceat per eleëmoſynas provocare pauperes ad orandum pro nobis, abſque vitio ſimoniæ. 321.

Eliſæus.

Vaſa vacua implebat, hodie contemnuntur, & plena ſuperimplentur. 184.

Epaminondas.

Quomodo laudabiliter recuſavit munera ſibi oblata. 286.

Ephialtes.

Pauperrimus cur ingentia munera recuſavit. 182.

S. Erminoldus.

Abdicavit Abbatiam propter retributionem à fratre factam. 226.

Error.

In ſubditis & ſucceſſoribus propagatur. 189.

Eſaü.

Reputatur ſimoniacus quod primogenita vendiderit. 2.

Excommunicatio.

Pœna Excommunicationis in ſimoniacos. 109. & ſeq. ſoli Pontifici reſervatur. 116.

Exercitatio.

In omni arte prærequiritur, ut ad illam quis applicetur. 302.

Exiſtimatio.

Status Clericalis læditur per munera & retributiones. 376.

Digitized by Google

F.

Familia.

Beneficia conferre familiæ ditandæ causâ, eſt res ſacras prophanare, 332. Quatenus eſt ſimoniacum pro familiæ commodo beneficia conferre conſanguineis. 331.

Favor humanus.

Qui favore humano ad præfecturam devenerunt, eodem ipſo favoris munere gratiam implent, 37. Simoniacum eſt, Beneficium Eccleſiaſticum conferre favoris humani captandi causâ. 324.

Ficus.

A Domino areſacta figura eſt incorrigibilis protervia ſimoniacorum. 132.

Fidelitas.

Qui fideliter non introivit, non niſi infideliter miniſtrabit. 35.

Finis.

Quomodo differenter moveat ab occaſione. 287.

Fœnus.

Non eſt Beneficium, ſed fœnus, dando circumſpicere unde retributionem tollas, 355. Fœnerator eſt, qui pro Beneficentiâ vult ſibi incontinenti retribui. 291.

Funiculus.

Triplex eſt qui malum Clericum in perniciem trahit. 30.

G.

Gieſi.

Accipiendo munera efficitur ſimoniacus & leproſus, 3. Non accepit pecuniam ex pacto. 211.

Gothi.

Vaſtarunt Hiſpanias in vindictam ſimoniæ. 372.

Græci.

Grave Mahometanorũ jugum ſimoniæ adſcribunt. 372.

Gratia.

Dicitur quidpiam, quia gratis datur & ſine onere

retributionis, 277. & 284. *In gratiâ faciendâ argentum non intercedit*, 280. *Gratia ſpiritus ſancti non accipitur, ſi non gratis datur*, 28. *Gratia dicitur quod amici causâ datur, non noſtri*, 239. *Gratiam habere quis poteſt ſimul & referre, etſi non pecuniam.* 294.

Gratis dare.

Oportet Beneficium gratis dare ſecundùm Chriſti exemplum & præceptum, 278. *Non licet cogitare ſi quid gratis offertur accipere non recuſo.* 232.

Gratificari.

Quomodo poſſumus gratificari fœlicibus, 241. *Gratificationis & cupiditatis colluſio.* 205.

Gratitudo.

Ad gratitudinem quid & quando reddendum, 241. *Gratitudo quâ aliquid rependitur pro Beneficiis Eccleſiaſticis non eſt vera virtus*, 257. *Gratitudo non obligat ad faciendum id quod fieri non poteſt honeſtè*, 285. *Gratitudo non eſt quod invitè datur.* 293.

Guntranmus Rex.

Iudicavit per munera gratiam ſpiritus ſancti ſub pretio redigi. 252.

H.

Hæretici.

Solent novam ignoratamque doctrinam polliceri, 177. *Simoniaci non ſunt propriè hæretici*, 281. *Ad hæreſim magis accedunt qui prætextu munerum ac retributionum ſimoniam excuſare volunt*, 282. *Qui ſimoniam palliare conantur ex hoc ipſo ſunt hæretici.* 159.

Hæreditas.

Quidam beneficia ſua reſignant conſanguineis tanquam hæreditario jure; quod vitium olim viguit in Hiſpaniâ. 332.

Henricus II. Imperator.

Propter ſimoniam gravi morbo vexatus fuit. 126.

Hieroboam.

Reputatur ſimoniacus, quod Sacerdotia conferret propter munera. 3.

Digitized by Google

Hieroſolyma.

Subverſa fuit propter ſimoniam. 6. & 373.

S. Hilarion.

Munera ſibi retributionis causâ oblata tanquam ſimoniaca recuſavit. 252.

S. Hilarius.

Numeroſis acceptis hæreditatibus mirificè ampliavit Eccleſiam Arelatenſem. 78.

Homo.

Totus in capite eſſe dicitur, 49. *Homines nos multis modis decipiunt,* 163. *Homo malitioſus præſtare ſe alteri fingit quod ſibi præſtat.* 254.

Hoſpitalis.

Hoſpitalẽ eſſe remuneraturis affectus avaritiæ eſt. 239.

Hypocriſis.

Simoniaca hypocriſis latè nunc diffuſa ſerpit. 163.

I.

Jacob.

Cur emendo jus primogenituræ non fuerit ſimoniacus, 2. *Per ſupplantationem pervenit ad benedictionẽ.* 138.

Jaſon.

Invaſit ſacerdotium per munera, 4. *Ejus infœlix exitus,* 5. *Ignis ſacer extinctus fuit propter ſimoniam Iaſonis.* 27.

Indigni.

Conferre beneficia indignis ſæva bonitas eſt, 259. *Indignus jure reddet malam gratiam pro beneficio quod accepit.* 259.

Infamia.

Infamia pœna in ſimoniacos 18. *Infames perſonæ ad accuſationem ſimoniæ admittuntur.* ibid.

Inhabilitas.

Simoniacus eſt inhabilis ad Beneficia. 117.

Iniquitas.

Illius iniquitas invenitur ad odium, qui iniqua

Digitized by Google

geſſit in Eccleſiaſticis poſſeſſionibus, 195. *Iniquum eſt imperitos præferri doctoribus, & minus ſanctos bonis.* 304.

Injuſtitia.

Qui munera exigit veluti pro emolumento temporali Beneficii committit injuſtitiam, 348. *Qui confert beneficium ſimoniacè committit injuſtitiam* 344. & 349.

Intentio.

Nomen imponit operi, 230. *Per directionem intentionis ſimonia devitari non poteſt*, 172. *Intentio vitiat omnem oblationem munerum aut retributionum*, 229. & *ſeq. Offerre patrimonium quaſi gratuitò Canonicis, eâ tamen intentione, ut in eorum Collegium recipiatur, ſimoniacum eſt*, 231. *Intentio ſimoniaca in dandis muneribus vel Beneficiis ex quibus circumſtantiis probetur*, 246. *Munera per intentionem ex quâ offerũtur fiunt ſimoniaca*, 254. *Intentio lucri ex mutuo etiam ſine pacto, reddit ipſum uſurarium*, 262. *In mutuando aut beneficium dãdo, quid liceat intendere.* 266.

Interceſſor.

Vbi interceſſores mali ſunt, major calamitas metuenda. 36.

S. Joannes Eleëmoſinarius.

In magnis anguſtiis conſtitutus recuſavit ingentia munera propter intentionem offerentis. 224.

Judæus.

Facilius convertitur quàm ſimoniacus. 23.

Jupiter.

Sicut in gremium Danes illapſus dicitur, ita ſimoniacus in gremium Eccleſia. 188.

Juramentum.

Non exigendum ſine causâ, 156. *Varia formula juramentorum ad ſimoniam extirpandam*, 155. *Subterfugia ſimoniacorum ad ea eludenda*, 158. *Vnde hæreticorum nomen incurrerunt*, 159. *Quid ſit parabola juramenti.* 263.

Jurgia.

Inter Clericos pariunt gravia ſcandala. 103.

Digitized by Google

Juſtitia.

Iuſtitia ordinata eſt, ut qui ſanctitate fulgent honoris etiam dignitate ſplendeant, 182. *Iuſtitia temperata eſſe debet in correctione aliorum*, 67. *In juſtitiâ attenditur æqualitas rerum, in benevolentiâ voluntatum.* 290.

Juventus.

Non ſtudet bonis artibus, quia merita non præmiantur Beneficiis, 367. *A primordiis juventutis æſtimandum qui ſunt apti ad beneficia.* 304.

L.

Labores.

Laborum merita præcedere debent, ut quis Beneficiis Eccleſiaſticis dignus habeatur, 303. *Laborantium ſtipendia ſine labore aliqui colligere prætendunt*, 40. *Eorum ſocordiam exagitat S. Bernardus.* 42.

Laïci.

Probibentur ſtatim in Clerũ acceptari, 32. *repræſentantur ſub figurá aſinæ Balaam Simoniam Clericorum reprehendentes.* 265.

Lambertus.

Lambertus Beguus inſurrexit adverſus ſimoniacos, 72. *Ejus vaticinium effectu comprobatum*, 73. *S. Lamberti conditorium per miraculum ab igne illæſum ſervatum*, ibid.

Leones.

Catuli Leonum naturali fame oppreſſi mugitus edũt. 76.

Lepra.

Qualis morbus, 17. *Sicut Lepra fœdat corpus humanum, ita ſimonia Eccleſiam*, ibid. *Simonia Leprâ corporali ſæpè punita*, 21. *Ingens contagium lepræ ſimoniacæ*, 123.

Lex.

Lex humana debet eſſe poſſibilis ſecundùm patriæ conſuetudinem, 59. *Debet eſſe imperfectorum infirmitati conveniens* 60. *Quænam in lege ſpectari debeant ut dica-*

Digitized by Google

tur obligare ſub mortali, 61. *Indulgenda ſunt quæ imperfectiònem continent, non quæ manifeſtam decolorationem,* 67. *In legem committit, qui verba ejus ſervans, contra ejus nititur voluntatem,* 211. *Diſpoſitio legis humanæ ſervari debet, etiamſi in caſu particulari finis ipſius deficiat.* 313.

Liberalitas.

Eſt motus animi faciens largitiones ſine ſpe retributionis. 255.

Lites.

Inter Clericos gravia mala pariunt 102. *Clerici litigioſi ſi nolint componere lites excommunicari debent,* 99. *Fraudes Clericorum litigioſorum.* 101.

Lucrum.

Pietas neſcit lucrum pecuniæ, 260. *Quæ benemeritis conferuntur, in lucrum cedunt,* 267. *Quidam Clerici lucri deſiderio, tamquam ebrii in præcipitium damnationis æternæ cadunt,* 334. *Latro eſt qui lucra de religione ſectatur.* 364.

Luxuria.

Non eſt incredibile Clericos qui minus regulariter vivunt voluptate luxuriæ ſæpè delectari. 193.

Lycurgus.

Cur ſtatuerit ut virgines abſque dote nuberent. 320.

M.

Macedonius.

Macedonii hæreſis qualis, 12. *Simoniaci illio pejores faciunt Deum ſibi ſervum,* ibid.

Malefacere.

Qui vult malefacere ſemper invenit cauſam. 161.

Malignitas.

Sola eſt exceptio contra accuſatorem aut teſtem in crimine Simoniæ. 119.

Malitia.

Eſt, quâ veritate palliatâ proprium commodum

Digitized by Google

attenditur. 256.

Manus.

Manus citò alicui imponere quid ſit? 302.

Martinus.

Quidam Cardinalis advertens oblatum ſibi fuiſſe aliquod munus intuitu cauſa Eccleſiaſticæ illud ſtatim reſignavit, 248. *Martinus V. Papa quomodò laudabiliter Beneficia conferebat.* 306.

Mediatores.

Qui interveniunt in ſimoniâ committendâ excommucantur. 106.

Menelaus.

Supplantando Iaſonem per munera ſacerdotium obtinet, 4. *Ejus mors infœlix.* 5.

Mercatores.

Qui ad alienum commodum pro ſuo veniunt, non obligant eos quibus proſunt. 284.

Meretrix.

Admittitur ad accuſationem ſimoniæ, 119. *Quaſtus ſimoniacus meretritio eſt ſimilis.* 29.

Metallum.

Onera metallorũ largiuntur honores Eccleſiaſticos. 183.

Michaël Cærularius.

Accuſavit Latinos tanquam prævaricatores Canonum, quod barbam raderent. 51.

Miniſter.

Collator Beneficii cùm ſit miniſter tantum, injuſtè prætendit retributionem, 274. *Miniſtrorum delicta redundant in ſuperiores,* 303. *Simoniacum eſt emere miniſterium Eccleſiaſticum.* 148.

Moïſes.

In tabernaculo Domini indeſinenter reſidebat, 196. *Quamdiu orabat, populus vincebat,* ibid. *Prohibuit plura offerri pro opere ſanctuarii,* 76. *Proteſtatur ſe mundum eſſe à ſuſceptis muneribus,* 223. *Filios ſibi ſucceſſores non reliquit, ut ſciremus Clericatum carni & ſanguini non deferendum.* 330.

Monaſterium.

Quatenus per munera quis invitari poſſit ad Monaſterii ingreſſum. 316.

Mons Gelboe.

Figura Simoniacorum. 28.

Montaniſtæ.

Nomine oblationis artificioſius munera accipiebāt. 108.

Mores.

Mali non præſumuntur mutandi, 303. *Morum diſſolutio in Clericis oritur ex eo quod per munera & retributiones Beneficia acquirantur.* 368.

Munera.

Qui accipiunt munera juſtorum & pauperum hoſtes ſunt, 183. *Oblatio munerum & retributionum tinea regiminis Eccleſiaſtici,* 204. *Oblatio munerum & retributionum fluxit à Iudæis, Montaniſtis, & ab antiquis ſimoniacis,* 107. *Scriptura paſſim reprobat munera & retributiones* 210. *Qui illa diligunt dicuntur ſocii furum,* 217. *Canones etiam illa reprobant,* 218. *Munera triplicis generis,* 219. *Munerum vel retributionum acceptio ſufficiens probatio ad convincendum aliquem de ſimoniâ,* 219. *Munera Caïn cur repudiata,* 224. *Munera pro Beneficiis Eccleſiaſticis oblata, fraudulenta dicuntur,* 228. *Etſi non præſumatur quod munera exigui pretii Simoniam inducant, poſſunt tamen,* 246. *Munera pervertunt bonam voluntatem hominum,* 296. *Ramos tantum mala arboris exſcindunt qui ſimoniam damnando munera permittunt,* 370. *Idonei reputantur quicumque munera offerunt.* 296.

Mutuum.

Dandum eſt nihil inde ſperando, 262. *Mutuum & collatio Beneficii invicem comparantur ad explorandum eorum convenientias & diſconvenientias,* 264. & ſeq.

Digitized by Google

N.

Nabuchodonoſor.

OB prophanationem vaſorum ſacrorum regno exutus fuit & vitâ. 332.

Neglectus.

Officii divini oritur ex eo quod Beneficia per munera & retributiones acquirantur. 367.

Negotiatio.

Negotiatio deteſtanda per quam retributionis causâ datur, quantùm non poſſit de fructibus Beneficii per decennium colligi, 246. Qui amicitiam parat ob bonos caſus, negotiationem exercet, 283. Negotiatores omnes Chriſtus expulit è templo, ne aliqua negotiatio honeſta putaretur. 284.

Neophytus.

Prohibetur ordinari, 33. Neophytorum hæreſis. 34.

Nero.

Ejus in captandis muneribus vox prædone digna. 255.

Nicolaitæ.

Quales hæretici, 71. Nicolaitarum & Simoniacorum hæreſes cognatæ. ibid.

Nobilitas.

Sola non eſt ſufficiens titulus ad diſpenſandum pro pluralitate Beneficiorum. 95.

Nomen.

Beneficii in rebus Eccleſiaſticis novum, 142. Beneficia propter abuſum veneficia potius dicerentur, 143. Nomen præbendæ à diſtributione quotidianâ, ſed propter ſimoniam emendæ melius diceretur. ibid.

Nummularii.

Fraudes nummulariorum quibus per munera illudebant legi divinæ, 207. Beneficiorum venditores dicuntur nummularii. 148.

Nummus.

Patriarcha noſter & mediator pro honoribus acquirendis, 183. In domo Dei non debent eſſe nummi niſi ſpirituales. 237.

O.

Obedientia.

GRatior eſt in difficilioribus, quam prævaricatio gravior. 62.

Obligatio.

Amicitia interminabilis, 243. *Obligatio contractuum oritur ex conventione voluntatum verbis, nutibus, aut circumſtantiis declaratâ*, 244. *Cur obligatio antidoralis non poteſt deduci in pactum in Beneficiorum collatione, et ſi poſſet in mutuo.* 273.

Obliviſci.

Debet Beneficium obliviſci ſtatim qui dedit, qui accepit nunquam. 260. & 297.

Obſequia.

Quatenus inducunt ſimoniam, 328. *Obſequium æquivalet pretio*, 222. *Obſequium ad ſpiritualia ordinatum reddit aliquem digniorem.* 269.

Occaſio.

Confert ad agendum, non movet. 287.

Officium.

Ita conjunctum eſt cum Beneficio, ut neutrum vendi poſſit ſine altero. 145.

Opinio.

Refertur opinio eorum qui docent licere munera & retributiones dare pro Beneficiis Eccleſiaſticis, 170. *Qui docent jure tantùm humano prohibitum eſſe vendere Beneficia, renovare videntur hæreſim ſimoniacorum.* 149. *Perverſus eſt opinandi modus alienus à Patrum & ſimplicitate*, 162. *Opiniones remotis inanibus laudum præjudiciis examinandæ*, 165. *Aliqui commodi ſui causâ approbant opiniones, quas aliàs reprobarant.* 165.

Opus.

Sicut fructus arborem, ita opus manifeſtat intentionem. 35.

Oratio.

Qui malè vivit, non deffendet populum orationis clypeo. 35.

Ordo.

Quomodo ordinem Eccleſia ſimonia turbet, 26. *Ordo Eccleſiaſticus putatur à multis occaſio in abundantia videndi*, 32. *Ordinationes ſine titulo ſeu Beneficio olim prohibita*, 141. *Qui Beneficium emit, conſequenter etiam emit ordinationem.* 146.

Otium.

Parens eſt omnium vitiorum, 193. *Otioſus qui ſpiritualiter non vivit, more pecudum vivat oportet.* ibid.

P.

Paradiſus.

Quibus non ſufficit gratis à Chriſto oblatus, ſufficiet infernus à diabolo pecuniâ comparatus. 266.

Parentes.

Odio habendi dum in viâ ſalutis ſunt contrarii, 333. *Parentum importunitas multos Clericos in perniciem abducit.* ibid.

Parochi.

Quâ ratione poſſint occaſione rerum ſpiritualium temporalia accipere etiam ultra neceſſariam ſuſtentationem. 312.

Parvuli.

Parvulis necdum natis ſæpe Beneficia deſtinantur. 32.

Paſtores.

Multi lucra animarum non quærunt, 38. *Non ſolùm mercenarios ſe exhibent, ſed & lupos.* ibid.

Patres.

Poſuerunt terminos ultra quos progredi periculoſum. 162.

Patrimonium.

Beneficia quandoque acquiruntur totius patrimonii damno. 297.

Pauper.

Quomodo reddere gratiam poteſt, 294. *In Beneficiis conferendis, pauper cœteris paribus præferendus eſt diviti*, 184. *Quale peccatum ſit Clericos ſuperflua non*

Digitized by Google

dare pauperibus, 79. *Cura pauperum quæ olim uni Epiſcopo incumbebat, in ſingulos nunc præbendarios diviſa eſt*, 80 *Clericus pauper Beneficio Eccleſiaſtico privatus mendicare cogitur.* 368.

Peccator.

Omnes peccatores Chriſtus per gratiam dimiſit è templo, ſolos vendentes & ementes ejecit, 14. & 105. *Omnis peccator miſſam cantare poteſt, præterquam ſimoniacus*, 119. *Qui pro muneris ſui officio peccatores non corripiunt graviter delinquunt*, 168. *Levius eſt apertè peccare, quàm fingere ſanctitatem.* 256.

Pecunia.

Nomine pecuniæ venit quidquid eſt pretio æſtimabile. 388. *Simoniacum eſt quomodocumque per pecunias acquirere Beneficia*, 233. & ſeq. *Nec ante nec poſt pecuniam dare licet pro Beneficio.* 152.

Penſio.

Quid ſit. 335. *Eſt per ſe injuſta, ideòque ex causâ aliqua juſtificari debet*, ibid. *Non licet paciſci de penſionibus ad commutationem Beneficiorum, ſi illa ſint jura temporalia*, 337. *Authoritate Eccleſiæ interveniente Beneficiis imponi poſſunt*, 338. *Si penſio ſit res ſpiritualis, eam redimere eſt ſimoniacum*, 339. *Ille cui redimitur penſio tenetur ad onera pēſionariorum*, 340. *Penſiones ſunt velamen ad palliandam ſimoniam.* 335. & 341.

Peſtis.

Qualis morbus, 22. *Simonia peſtilentialis morbus*, ibid.

S. Petrus.

Quomodo oblationem munerum à Simone Mago factam corripuit, 7. *Petri Pariſienſis ſimonia propalatur per ignem.* 221.

Philippus Cancellarius Pariſienſis Univerſitatis.

Damnatus fuit propter pluralitatem Beneficiorum. 85.

Pius.

Nonnulli pii emulatione deformi quæſtuoſis etiam

Digitized by Google

modis Beneficia adipiſcuntur. 189.

Pixis Pandoræ.

Origo multorum malorum. 364.

Plinius.

Conqueſtus eſt vaſa ex gemmis confici quibus aurum eſſet acceſſio. 143.

Plutarchus.

Fœneratores Beneficiorum leporibus comparat. 291.

Pœna.

Pœna privationis in ſimoniacos, 116. *Pœna corporalis in ſimoniacos,* 117. *Pœna depoſitionis in ſimoniacos,* 106. *Pœnæ temporales ſunt utiles ad liberandum ab æternis.* 376.

S. Poligonius.

Electio ejus quomodò manifeſtata. 300.

Præbenda.

Cur plures præbendas habere prohibitum, 92. *Dare pecuniam ſpe præbendæ eſt ſimoniacum.* 298.

Præceptum.

De Beneficiis gratis dandis excludit omnem callidam evaſionem. 278.

Prælati.

Septuaginta duo ſimoniaci unâ vice prælaturas abdicarunt, 125. *Prælati ſuperiores moderata jura ſibi taxare debent.* 315.

Præſumptio.

De divinâ miſericordiâ eſt iniquitas, quæ invenitur ad odium. 194.

Preces.

Quatenus nata ſunt inducere ſimoniam, 325. *Non ſunt interponendæ pro collatione Beneficii Eccleſiaſtici,* ibid.

Pretia.

Præbendarum volitant per ora populi. 163.

Principium.

Quæ malo principio inchoata ſunt, difficile bono exitu peraguntur. 34.

Digitized by Google

Procaces.

Quique ultrò ſe ingerunt adminiſtrationi Eccleſiaſticæ, 188. *Multi evadunt magis procaces quod nemo improperet ipſorum flagitia.* 192.

Promotiones.

Simoniacæ ſunt irritæ. 112.

Prophetia.

Per avaritiam in divinationem diabolicam verſa. 3

Propolarii.

Laudantes valorem Beneficii ſui fugiendi ſunt. 284.

Q.

Q*Væri potius ab Beneficia, quàm quærere quiſquam debet.* 190.

Quæſtus.

Quidam turpis quæſtus causâ ſpiritualia omnia miniſtrant, 36. *Dæmon quandoque decipit ſperantes quæſtus turpes*, 173. *Apoſtolus turpem quæſtum exhorruit in Simone Mago*, 213. *Quæſtus avaritiæ collationem Beneficii ſimoniâ inficit.* 230.

Quies.

Simoniaci verâ quiete in Eccleſiâ non fruuntur. 375.

R.

Radulphus Epiſcopus Leodienſis.

M*Ercatum Beneficiorum Eccleſiaſticorum in medio foro conſtituerat.* 140.

Recompenſatio.

Debet fieri tempore oportuno, 142. *Recompenſatio debet fieri differēti modo in Beneficio honeſti & utilis.* 268.

Redemptio generis humani.

Non corruptibilibus auri & argenti muneribus facta eſt. 214.

Religioſi.

Quid jus ſtatuat de Religioſis qui Monaſterium ingreſſi

ingreſſi ſunt ſimoniacè, & de Abbatibus illos recipientibus. 357.

Remuneratio.

Debetur potius Deo quàm collatori, 276. *Remuneratio reſpuenda eſt ab illo, cui etiam incogitanti offertur,* 285. *In eum voluntas noſtra eſt propenſior, à quo remuneratio melior expectatur.* 297.

Reſidentia.

Quid ſit. Alio nomine aſſiduitas dicitur, propter quam aliqua Beneficia dicuntur incompatibilia, 196. *Obligatio reſidentiæ continua ex ipſius ſtatus naturâ deſumitur,* 199. *Qui non reſident competenter, cenſentur fraudatores votorum fidelium egentium, necatores animarum, &c. ideoq; eſt grave peccatum.* 200. & ſeq.

Reſignationes.

Factæ incognitis, minus ſanctis, doctis, &c. cenſentur ſimoniacæ. 296.

Res ſpiritualis.

Per temporalem nullo modo compenſari poteſt. 272.

Reſtitutio.

Qui accipit pretium rei ſpiritualis jure naturæ reſtituere tenetur, 350. *Non tamen debet fieri reſtitutio ei qui dedit,* 355. *De reſtitutione fructuum collectorum ex beneficiis ſimoniacè acceptis,* 113. & 117. *Simoniaci quantumcumque pœnitentes non ſunt reſtituendi in gradum priſtinum.* 110. & ſeq.

Retributio.

Pecuniæ & gratiæ quomodo differant, 242. *Ignobili mercaturæ quæſtu ſollicitantur, qui ſectantur retributiones.* 256.

S. Romualdus.

Ferè occiſus quod perverſæ ſimoniacorum conſuetudini obſiſteret. 134.

Digitized by Google

S.

Sacerdotes.

Sub Iaſone ſpreto cultu divino gentilium more vivebant, 4. *Sacerdotum culpa eſt ruina populi*, 39. *Qui pecuniis adepti ſunt honorem Eccleſiaſticum illum moribus ſuis diffamãt*, 168. *Vbi ſacerdotium venale creditur, non vita, ſed pecunia queruntur*, 31. *In ſanctificatione ſacerdotii oportet mores ab avaritiâ alienos præſtare*, 214.

Salus.

Vbi ſalutis ſperatur effectus, jucundus debet eſſe defectus. 374.

Samuel.

Proteſtatur ſe nullum unquam munus accepiſſe, 222. *Filii Samuelis nullum aliud crimen habuerunt, quàm quod munera dilexerunt.* 217.

Sanctus.

Cur in negotiationem introiſſe ſe neget, 255. *Nullus ſanctorum docuit ita vivere ſicut plures Clerici nunc vivunt.* 194.

Sapientia.

Quæ ex Deo eſt, lucrum non quærit, 376. *Sapientia hujus mundi eſt, nequitiam ſimulatione velare*. 364.

Saraceni.

Vaſtarunt Eccleſiam in vindictam labis ſimoniacæ. 372.

Scandalum.

Ex inordinatâ plurium Clericorum vitâ, oritur in plebe. 48.

Schiſma.

De ſchiſmate inter Damaſũ Papam & Vrſicinum. 104.

Semen Gieſi.

In æternum damnatur, cum idololatræ in quartam tantùm generationem fuerint mulctati. 14.

Servus.

Præſtans pluſquam à ſervo exigi ſolet, Beneficium

Digitized by Google

faīt., 328. *In accuſatione ſimoniæ ſervi adverſus dominos admittuntur*, 119. *Depoſitus fuit Clericus tanquam ſimoniacus, qui exhibuerat annuum ex pacto ſervitium, quaſi non ingratus gratiæ.* 273.

Simon Magus.

Primus turpem quæſtum invexit in Eccleſiam, 7. *Nullum pactum inivit*, 211. *Illius principalis intentio fuit ſola pecuniæ avaritia.* 230.

Simonia.

Prima fuit hæreſis, 8. *An ſit propriè hæreſis*, 9. *Propter avaritiæ labem dicitur idololatria*, 10. *Eſt furtum ſacrilegum*, 11. & 274. *Iudaica & Ægyptiaca conſuetudo appellata fuit*, 5. *Iudaica perfidia non eſt illi æqualis*, 16. *Quàm frequentibus decretis ſucciſa, tam novis fraudibus iterata dignoſcitur*, 131. *Simonia triplici ex capite mala eſt*, 270. *Munera & retributiones oblatæ pro Beneficiis continent ſimoniam realem*, 361. *Accepta per ſimoniam jure divino ſunt dimittenda.* 344.

Simoniaci.

Iudæ proditori ſunt ſimiles, 13. *Immò pejores*, 15. *Omnes peccatores immanitate ſeu ſceleris ſuperant*, ibid. *tanquam primi hæretici ab omnibus ſunt reſpuendi & ab exteris poteſtatibus opprimendi*, ibid. & 120. *Sunt præcurſores Antichriſti, Pſeudo-Chriſti*, &c. 16. *Sortilegis, veneficis*, &c. *comparantur*, 120. *Simoniacorum crudelitas*, 73. *Quid Eccleſia ſtatuerit de iis qui non ſimoniacè à ſimoniacis*, &c. *ordinati fuerint*, 19. *Simoniacus diffamatus de aliis criminibus, reus præſumitur ex eo ſolo, quod ſimoniacus eſſe convictus ſit*, 16. *Simoniacus recitando Gloria Patri non potuit pronuntiare Spiritum ſanctum*, 125. *Simoniacus amiſsâ mente vagabundus efficitur*, ibid. *Simoniacus de ſepulturâ Eccleſiaſticâ divinitus extractus*, 128. *Simoniaci moderni non curant emere Spiritum ſanctum*, 150. *Simoniaci veteres munerum & retributionum prætextu nequitiam ſuam velabant*, 209. *Iuſtorum plebiſque ſimplicitas à ſimoniacis deridetur.* 364.

Spiritus ſanctus.

In quibus requieſcere cognoſcitur. 306.

Sponſa.

Non audet ingredi cubiculum Regis, ſimoniaci verò impudenter irruunt. 190.

Stadium.

Quaſi in ſtadii agone curritur ad Beneficia, ſed ſimoniacus accipit bravium. 188.

Stipendia.

Quatenus dare licet iis qui expediunt litteras. 309.

Suffragia.

Quomodo aliqui emendicent ſuffragia. 32.

Suſpenſio.

Pœna ſuſpenſionis in ſimoniacos. 115.

T.

Templum Dei.

NOn eſt diverſorium mercatoris, 311. *Dicitur ſpelunca latronum propter lucra ſimoniacorum,* 237. *Proditor eſt qui vitia in templum Dei inducit,* 364. *Templũ ſuum Deus flagello emundat, dum immittit bella.* 374.

Temporale.

In beneficiis non poteſt emi ſine ſpirituali. 115.

Teſtis.

Vnus ſufficit ad accuſationem ſimoniæ. 119.

Theophilactus.

Oſtendit quomodò & quales commendare oporteat ad Beneficia. 326.

Tonſura Clericalis.

Vnde ortum habuerit, & qualis eſſe debeat, 52. *Per illam Clerici Deo conſecrantur, ejus dignitas & ſignificatio myſtica,* 53. *Tenentur omnes Clerici eam geſtare,* 54. *Pœna in eos qui non geſtaverint,* ibid. *Tonſura inferior qualis eſſet debeat,* 55. *Verendum ne Deus auferat Clericatum ab iis qui tonſuram negligunt.* 56.

Traditio.

Traditionis apoſtolicæ depoſitum ſervandum. 178.

Digitized by Google

V.

Vanitas.

Clericorum ex bonis Eccleſiæ exuberat. 192.

S. Udalricus.

Propter amorem erga parentes caſtigatus. 330.

Vendere.

Aut emere Beneficia dicuntur qui munera aut retributiones dant vel accipiunt, 249. *Vendentes beneficia, non dantes perſequuntur, vel dantes necant.* 237.

Veſtis Clericalis.

Singularem modeſtiam præ ſe ferre debet, 56. *Debet diſtinguere Clericos à Laicis*, 57. *Apoſtatare dicuntur qui eam non geſtaverint*, 58. *Quis color veſti Clericali proprius*, 65. *De veſte imperfectiori quæ ſoutanella dicitur*, 66. *Veſtis talaris non ſemper fuit in uſu, ejus inventor, quomodo primùm repudiata*, 58. *Non eſt abſolutè præcepta ſub mortali*, 59. *Veſtes pretioſores Prælatis permittuntur.* 66.

Viri Sancti.

Proteſtantur ſe mundos eſſe à muneribus. 222.

Virtus.

Non eſt mercenaria, 243. *Nullius fructus præmiatur ſtipendiis*, 187. *Virtutes periclitantur in hoc ſæculo nequam*, 193. *Virtutes in genere laudare & in particulari vitia palliare ſophiſticum.* 369.

Vita.

Irregularis plurium Clericorum deſcribitur, 191. *Vitæ Clericalis forma qualis eſſe debeat*, 45. *Irregulariter vivunt qui dato munere ſacerdotium præſumunt*, 46. *Per honeſtam Clericorum vitam infideles commoventur ad fidem*, 104. *Vita ſpiritalis oſtendit Spiritum ſanctum habitare in aliquo.* 305.

Vitia.

Decipiunt ſub ſpecie virtutum, 161. *Vitioſi ægrè ferunt dum vitia ſua carpuntur*, 164. *Vitioſi ſicut phre-*

Digitized by Google

petici aut lethargici curandi ſunt, 166. *Nemo repentè evadit turpiſſimus*, ibid. *Vitia latentia difficilius curantur.* 363.

Uſura.

Prætextu munerum aut retributionum palliata. 261.

Wernerus Argentinenſis.

Simoniacus repentinâ morte corripitur. 127.

Z.

Z*Elus nimius plus nocet quàm proficiat.* 67.

FINIS.



Digitized by Google

CENSURA.

QUæ Dñus hujus Tractatus Authordе Simoniâ dicit, non tam ex ſuo, quàm Sacrorum Conciliorum, Pontificum, aliorumque Patrum ſenſu deprompſit; optandumque foret ubique ad praxim reduci: quem in finem meritò lucem videbunt. Datum Leodii hâc 26. Aprilis 1677.

HENRICUS DU MONT,
Eccleſiæ Cathedralis Leod. Canonicus, Synodalis Examinator.

POterit imprimi. Datum Leodii hâc 6. Maii 1677.

JO. ERNEST. BARO DE SURLET,
Vicarius Generalis Leodienſis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google